MARII SALAMONII PATRITII ROMANI DE PRINCIPATV LIBRI VI.

AD

POMPONIVM BELEVRIVM, Regis in Sacro Consistorio Consiliarium, Præsidémque supremæ Curiæ Parisiensis.

PARISIIS,

Excudebat Dionysius du Val, sub Pegaso, in vico Bellouaco. 1578.

Cum priuilegio Regis.

POMPONIO BELEVRIO,

REGIS IN SANCTIORI CONSISTORIO CONSILIARIO, & supremæ Curiæ Parisiensis Præsidi,

IAC. CORBINELLVS.

VIDISSE *me olim memini quædam huius Marij Salamonij opera, Vir præstantissime; multũ illa quidem a laudatis viris, & præsertim iurisperitis dilaudata: hoc vero* DE PRINCIPATV *non alias memini me vidisse; cũ tamen flagrarem maximo desiderio; propterea quod & in ore multorum, & in amore esse peruiderem. grates igitur ago maximas Antonio Vaccæ, sapienti viro, & omnibus virtutibus expolito, qui mihi misit*

talem hunc librũ; qui quidem ob egregium ipſius argumentum fuit animo meo cariſsimus. quid enim carius accidere potuiſſet viro bono, & qui vitam ſub impotenti dominatione morte grauiorem ſemper exiſtimarit, ipſa lectione veri Principatus, ac libertatis? hic.n. horũ librorũ ſcopus et finis eſt, commemorare principatus tantummodo procurationem fuiſſe Principis, ceterum ius & imperium penes fuiſſe Rempublicam; &, vt vnico verbo dicam, vniuerſum populum, quaſi ſuo Principe potiorẽ. Rem igitur haudquaquã abſurdã me facturũ exiſtimaui, ſi efficerem, vt ab omnibus bonis, ac ſanis viris legi poſſent, atque intelligi: antea enim vix poterant, præ innumerabilibus maculis, quibus vndique cooperiebantur. neque hoc per inſolentiam dixerim; vt ne quis putet memet extollere laborem hunc meum; ſed quia omnino mihi viſum eſt, minimam partem non eſſe noſtri meriti erga Rempu-

blicam, efficere, aliorũ vt in eandem merita celebrentur; quemadmodum & non ineleganter, vt arbitror, neque imperite dixit quidam, Partem esse meriti, meritum celebrare piorum. Tametsi autem satis superque auctor noster Salamonius, qui egregius philosophus, & iurisconsultus fuit, non modo aliorum ipsius operum eruditione, sed & fama ipsa, scientiaque clarissimorum hominum celebretur, verius tamen ex hisce libris apparet, ingenio ipsum fuisse prævalido, ac præcellenti; antiqua præterea doctrina, sanctaque. quos quidem libros ille quadã animi nobilitate permotus (vt erat genere quoque clarus ac pollẽs) scripsit paulo fortasse liberius atq. seuerius, quam postulent mores illorum, quibus auersabile est parere veritatis legibus, atque virtutis. namque præcepta quidem iustitiæ sapientiæq. commendant; ea tamen ipsa agitare dementiã arbitrantur. vt merito illud Cæcilij poetæ dictum, pau-

lulum tamen immutatum vsurpare possint, quod est apud Varronem:

Audire leges quod imperant solemus, non auscultare.

Totum hoc igitur præclari huius ac de republica benemeriti hominis, ab obtrectationibus inuidorũ æquis iudicibus defendendum trado atque commendo: mihique satis erit, si tibi placuisse, POMPONI, *sentiam hoc quidquid est, qualecumq; libelli est, quem tibi do, dedico, vir clarissime: haudquãquam ego illum alienũ existimans a dignitate tua, aut ab illo munere, quod tu assidue tanta cum omnium bonorũ laude sustines apud Regem, atque Rempublicam. et merito: amborum.n.vt omnes sciũt, semper interfuit te rebus maximis interesse: & multum vterque debent operæ & nauitati tuæ, quam duobus præcipue temporibus præstitisti: primum scilicet, cum adhuc Cracouiæ essemus, in atroci illo asperoq; negocio discessus regij; deinde, cum iam rediissemus in patriam,*

vbi non ſemel, ſed iterum egregiam illam tuam erga Regem, atque Remp. voluntatem, & animi firmitudinem oſtendiſti. niſi enim te, iuſſu Regis, & ſumma etiam voluntate omnium, in illas pacificationes interpoſuiſſes, & propterea in ea te pericula conieciſſes, quæ adhuc integerrima, & maxima erant, vno dũtaxat prælio omnis profectò fortuna Reipublicæ diſceptaſſet. Hæc certe tua publica ſunt, ac penè diuina beneficia. qualia vero ſint ea, quæ priuatim in amicos conferre ſoles, nihil attinet memorare. de iis autem, quæ abs tua voluntate in me ipſum profecta ſunt, tantũ poßũ affirmare, ea animo perpetuo meo fixa permanſura. quo magis abs te petam audacius V. C. ſicut & magno opere peto atque oro, ſi meam vitam, ſi fortunas, ſi ſtudia perſpecta habes, vt eo amplius me tuendum ac ſubleuandum exiſtimes, quo tibi tuo merito plura debeo.

K. *Iunij*. M. D. LXXVIII.

ANGELI COLOTII EPISCOPI Nucerin. Ad Marium Salamonium.

ANGELVS Politianus, qui noſtra ætate multa præclara ingenij ſui monimenta reliquit, Mirandulam, non Picum, ſed Phœnicem vocare ſolebat, quaſi auem vnicam, quæ in lauru Medicea nidificaret: ego te, cum lucubrationes & vigilias tuas in iſta veneranda canitie conſidero, non Phœnicem, qui nuſquam eſt, ſed argenteum Anſerem Capitolinum pro re Ro. cuſtodem vigilantem commodius appello: niſi ſi quiſpiam te non MARIVM, ſed MANLIVM malit: vtpote qui ſtes pro Capitolio, hoc eſt, pro iurium Romani Principis, & Latinæ linguæ tutela in iſta arce dimices.

Vale, & me ama.

MARII Salamonij opinionem de partu legitimo cenſendo, etiam ſi biduo poſt X. menſem natus ſit, referens Tiraquellus in l. ſi vnquam C. De reuocandis donationibus. pag. 480. appellat eum, virum plane iuris, & humanitatis doctiſſimum.

ANTONIVS VACCA IVRISC. IACOBO CORBINELLO S.P.D.

*O*PVS *hoc Marij Salamonij, e Sicilia quidem, ut accepimus, oriũdi, verum & paterno incolatu, & dignatione quam obtinuit, ciuis ac patritij Ro. cum ego iampridem legerim, Auctoremque illum sæpius collaudarim, nouißime autem æstate torrida superiore anno mense Augusti, vixque ea ipso tempore otium ab interpellationib. nacti, feriando cum relegerim, & à multis, quibus paßim scatebat, mendis expurgauerim, nec ita multo post me ad te missurum pollicitus fuerim, mittere tamen hactenus distuli, quoniam & continuæ occupationum mearum molestiæ, & temporum à sæuiente pestilentia difficultates, itineribus circumquaque occlusis, impedimẽto fuere. Nũc, cum & Lugduni, & aliis locis (quæ Deo gratia habenda est) melius esse allatum sit, mitto ad te Corbinelle optime: tu, si res digna videbitur, etiam typis excudendum curabis; ita, vt quæ nostrarum emendationum coniectura du-*

bia constare videbuntur, ea in marginem reiici facias: nam omnia nimis longum foret: sunt enim plura sexcentis, nec sane talia, quæ quiuis deprehendere potuisset. Ego vero, multifariam huic diligentiæ assuetus (vtpote qui Gabrielem Faërnum Cremonensem, quo nemo ætate nostra in hoc studiorum genere diligentior ac felicior fuit, Romæ etiam in contubernio habui, ludensque sæpius, atque interdum serio illi concertabam) fiducialiter hoc ausus sum. Quid vero in ea re præstiterim, tuum & aliorum iudicium esse malo, quàm meam ipse operam atque officium ambitiose extollere. Illud certo scito, opus hoc, nec Romæ quidem, vbi primum, idemque postremum impressum fuit, vsquam inueniri: nam & diligenter ego id quæri feci, scilicet vt compararem vbi nostrarum emendationum exemplar referre, ac simul citra itinerum ac viarum discrimen transmittere ad te possem. Me tamen & promissi obseruandi fides, & Operis ipsius, ac tui bonorumque omnium, præsertim eorum qui ciues Romani sunt, amor vicit, vt periculis id cõmittere, quàm expectanti tibi deesse mallem. Vale: & vt facis, rem literariam promoue, atque in iis studiis elabora. id tibi gloriam peperit, & pariet non

contemnendam; Regi vero, atque Reginæ eius matri, Christianissimis, quorum auspiciis ac prouidentia hæc agis, etiam supra immensos cæterarum laudum cumulos, immortalem.

Romæ K. Decemb. Anno Sal. 1577.

6, 2. *Pythagoram & Platonem*. Adde & Varronem in principio De re ruſtica: Et quoniam, vt aiunt, Dei facientes adiuuant, prius inuocabo eos,& quæ ſequuntur.

64, 24. Exemplum eſt ex lib. Officior. II: & ita legendum. tenebatur, non iniuriis. & in fine. erant,& refugium Senatus.

130. De rebus nouis, Adde quod diſſeruit apud Tacitum C. Caſſius: Sæpenumero P. C. in hoc ordine interfui, cum contra inſtituta & leges maiorum noua Senatus decreta poſtularentur, neque ſum aduerſatus; non quia dubitarem ſuper omnibus negotiis melius atque rectius olim prouiſum, & quæ conuerterentur in deterius mutari, ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere viderer.

17, 26. ſciſcitor 29, 14. dicatur? 34, 25. adactum, ſed ſolum 35, 12. nuncupetur 37, 2. Cicero. Seruitus 61, 16. Pyrrho 80, 15. ſint 111, 27. Non vtique: quamuis 126, 12. imperio.

QVÆ PRINCIPALITER IN HIS LIBRIS CONTINENTVR, HAEC SVNT.

In primo.

VTrum,& quib.legib.solutus sit Prĩceps. 3
Tyrannidis est legibus non parere. 4
Vtrum lege sua Princeps ligetur. 8
Nunquid in ciuitate maior sit ipso Principatu potestas. 17
Num Princeps alia leges auctoritate constituat, quàm Principatus. 18
Num leges maioris auctoritatis sint ipso Principatu. 19
De ambitu.& quid inter ambitum sit,& simoniam. 24
Quomodo sibi ipsi imperare quis dicitur. 33
Quomodo populus suis ligatur legibus. 35
Quid est ciuitas. 37
Quid lex. 39
Quomodo legibus vtitur Princeps,& quomodo Priuatus. 40

I I.

Quod plurib. & arctiorib. legib. ligatur Princeps,quàm cæteri. 46

Differentiæ inter Principem, & Tyrannum. 47
Quot eorumdem species. 52
Quas leges condere, quasque tollere potest Princeps. 54
Quæ iustæ, quæue iniustæ sint leges. 55
Propter quid Princeps. 57
Numquid Princeps communem suæ anteponat vtilitati. 58
An cum alterius detrimento communis vtilitas sit procuranda. 61
An ad Principem pertineat curare commoda singulorum. 65

III.

An ad Principem de morib. cura pertineat, & quàm necessaria sit. 69
Quibus artibus Princeps ciues bonos efficiat. 72
Quæ puniendi ratio, & castigandi modus. 75
De scandalizatione quædam pulchra. 83
Quibus Virtutibus præstare debet Princeps. 88
Diuitiæ quatenus vtiles sunt in ciuitate. 89
Quod neque armis, neque pecunia res magnæ conficiuntur. 92
Diuitiarum cultus cur Reip. perniciosus. 97
Quid si Princeps virtutis sit expers. 98

IIII.

Quod decet Principem vtrum oporteat. 103

Quomodo differunt Licitum, & Honestū. 103
De vsu supremæ potestatis. 106

V.

Vtrum Romanus Princeps vere legibus solutus fuerit. 109
Historia ab initio constituti Principis Romani. 110
De Imperatore Constantino. 113
Diuisio Imperij inter filios Constantini. 114
Diuisio Imperij inter Romanos, & Augustū. 115
Ad l. primam De constitutionibus Principum interpretatio. 118

VI.

De lege Regia. 121
Verba vltimæ Tabulæ legis Regiæ: eiusque interpretatio. 122
De Imperio Vespasiani. 124

AD SANCTISS. LEONEM X. PONT. MAX. MARIVS. SALAMONIVS DE PRINCIPATV.

LIBER PRIMVS.

P *Ollicitatione B. P. ſpopondi hoc libro de iuſto principatu quædam ad te ſcribere: tametſi ſtricto iure inuitus exigi non poßim, diuinum tamen, quod in te numeñ eſt, efficit vt ipſe reus ſim debendi, & tu credēdi. In arca nullum ſtipatum mihi eſt talentum maius, neque maximum auri, vel argenti puti puri, ſed vix inter minora appenſum. Tu, tuo libripende adhibito, librabis, ne adulterinum ſiet. Reliquum eſt, vt qualecunque ſit, capias: capies autem quàm maximum habui.*

Quærere, Vtrum legibus ſolutus Princeps ſit, non aliud eſt, quàm de Principis poteſtate, ac iure quærere. ſacrilegium vulgo eſt, de eius poteſtate, cui quicquid libuerit licet, quæſtionem fa-

cere: & vtique retulissem pedem; nisi tuæ mansuetudini dicatum opus castigandum exhiberetur, qui nosti, non ex summo iure accipiẽda quæ disputationis gratia conferũtur. Absit à simplicitate nostrorum verborum malignus interpres: si, vt cæteri, licentiosa vtar disputandi solertia, sine qua veritas iacere solet in tenebris. Et quia res ardua, subtilíque disputatione digna est: & à solis Iurisconsultorum traditionibus minime pendens, verumetiam à Theologorum, & Philosophorum sublimitate; iccirco operæ pretium duxi, adhibitis ex quaque disciplina personis, qui inter se more Socratico disceptarent: & quia historiarum commemoratione oratio fit illustrior, historiæ studiosum adieci, qui noua, ac vetera acta, vbi historia opus est recenseat. Hoc enim pacto quid in quaque re veri fuerit, facilius excutietur. Iam ipsos audire dignaberis.

PHI. IVR. THE. HIST.

Salue, Iurisperitorum maxime. Quid isthic tacitus tecum cogitas? videris nescio quid tota mente speculari. IVR. *Recte iudicas Philosophantium antistes, nec mirum, si quod in te sæpe experiris facile in alio intelligas.* PHI. *Quid igitur? num aliquid inquisitione dignum?* IVR.

Dignũ,& nõ dignũ. PHI. *Ænigmata loqueris.* IVR. *Indignũ inquam, quoniã tritũ apud nos eſt, Romanum principem ſolutum eſſe legibus: & ita tritum, quod ſecus æſtimare nefas & ſacrilegum eſt: & idem, ex contrario, inueſtigatione dignum, quòd non facile animus aſſentitur, ſic male cum genere humano agi, vt quicquid vni libuerit, pro lege & ratione ſit.* PHI. *Principem, vel Tyrãnum loqueris?* IVR. *Qui principem dicit, Tyrannum omnino excludit.* PHI. *Dic age. num legibus omnibus ſolutum dicitis? veluti quæ à natura vel iuregentiũ ſunt.* THE. *Diuinis etiam.* IVR. *Vix excipiuntur iſtæ, quas nihilominus moderãdi habere ius dicũt.* PHI. *quid audio?* IVR. *Miraris?* PHI. *Prorſus obſtupeo.* IVR. *Quam ob rem?* PHI. *Quoniam Tyrãnicum ſonat vox iſta.* IVR. *Quid ais? Tyrannidem ergo fouet ius noſtrum?* PHI. *Si à recta proficiſcitur ratione, non fouet: ſin à potẽtioris vi, foueat eſt neceſſe, certo certius habe, nõ teneri legibus; Tyrãnidem, non principatum eſſe rectephiloſophantiũ docere ſcholã.* IVR. *Mira narras.* PHI. *Audi ergo Ariſtotelẽ 4. Politices pro omnibus loquentẽ; Neceſſe eſt, inquit, Tyrãnidem eſſe illam, quæ nullis legibus ſubiacet, & dominatur ad propriam vtilitatem: Cuius ſententiæ rationem alio loco ſic explicat; Ciuitas, li-*

berorum est societas: & ideo à dominis guberna-ri transgreßiones sunt, & labes. Et alibi; Regia potestas, inquit, per quam Rex omnia ex voluntate sua gubernat, videtur non esse secundum naturã, vt vnus omnium dominus sit ciuium; cum ex similibus Ciuitas constet: nam similibus natura idem ius esse, est necessarium. Vides quàm planum sit, Tyrannidis esse legibus non ligari. IVR. *Video sane, eo modo quo Aristoteles dicit, nullis legibus subiici: quod plane fateri cõuenit immanißimi Tyranni esse, diuina & humana iura contemnere.* PHI. *Verba aucupari minime oportet; non hoc solum Aristoteles sensit, quando dixit: Regia potestas, per quam Rex omnia ex voluntate sua gubernat &c. & alio loco: Reges secundum leges, & volentibus: Tyranni contra, & inuitis dominantur. de legibus enim ciuilibus loquitur Aristoteles, & non diuinis.* THE. *Confirmo B. Thomæ auctoritate, prima secundæ: vbi tradit Principem subiici legibus directiuis: & plenius idem Thomas. iiij. commentariorũ in politices sic loquitur: Oportet in ciuitate Principem habere regulam, per quam dirigatur in operationib⁹ suis, & dirigat alios, & per quam iudicet. hoc autẽ fit per legem.* PHI. *Appositißime hæc Aquinatis. Tu vero dic quæso; qua ratione legibus solutum*

dicis? Nec illo contentus sum, quod sit constitutum legis istud, Quoniam potẽtioris vis est, non iuris. IVR. *Ratio ea in primis proditur; quòd nemo sibimet præscribere legem potest: similiter nec pręcipere. ridiculosa enim res esset lex: veluti stipulatio, quando vim necessitatis non affert. Nihil tam proprium legis est, quam imperare, vetare, & punire: quæ non nisi in subditos vim habent.* THE. *Hinc apud nos quæri solet: Nũquid Papa eadem constitutione teneatur, qua omnis vtriusque sexus quotannis peccata confiteri, & Eucharistiam religiose capere præcipitur: & vicit ea sententia, vt non obligetur.* IVR. *Idem & iuris Canonici professores sentiunt.* HIST. *Nõ peccauit ergo Iulius.* II. *qui bello Bononiensi occupatus, confeßionis oblitus fuit.* TH. *Peccauit: quamuis pœna illius Canonis non ligetur: quippe in Pontifice minime boni res exempli fuit.* PH. *Aut peccauit, aut non peccauit: si peccauit, vtique non ob aliud peccauit, nisi quòd huiusmodi legi non paruit: non enim peccasset, nisi talis lex lata fuisset: cui peccasse non potuit, nisi illi extitisset obnoxius.* TH. *Sic argumentatur Apostolus ad Roma. dicens: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. & rursus: Vbi non est lex, nec præuaricatio.* IVR. *Solum lex causam peccato dedit: quod*

alterius, & haud illepidæ inuestigationis est: PHI. *Redeamus ergo ad quæstionem nostram.* IVR. *Expedit.* PHI. *Luculenter explicastis rationes & exempla, quibus dicitis, Principem solutum esse legibus: verum melius multo futurum, si de singulis nominatim dißeratur, dum tēpus suppetit, quod turpe est nobis ducere ociosum.* IVR. *Vtinam: hoc ipsum diu desideraui, aliquando mihi contingeret cum sapientibus disputare. tenes quæ à me dicta sunt? alioquin breui epilogo repetam.* PHI. *Teneo: non opus est repetas: verum siquid præterisse videbor, non pigeat recordari.* IVR. *Obtemperabo.* PHI. *Attente velim audiatis omnes, & si quid dicendum succurret tibi, tu diuini dogmatis magister in medium afferre non remoreris.* THE. *Libentißime morem geram. Dic age tuo arbitrio: sed caue ne inauspicato incipias.* PHI. *Religiose mones, vt Christianū decet: & ipse habeo, quos in hoc imiter.* THE. *Quos?* PHI. *Pythagoram, & Platonem, qui vbique nos admonent, nequid aggrediamur sine diuini numinis inuocatione, vt ne cogitatum quidem exceperint. In omnibus, inquit Plato, rebus dicendis, & cogitādis principium semper de Diis est faciendum. Pythagoras: Accede ad opus, ait: Deos ora, vt conficias.* TH. *Inuocemus igitur.* PH. *Tuum est*

enim, antistes diuinorum. TH. *Caute dictum.* PHI. *At casta, pura, & defæcata mente iubent iidem.* TH. *Pie iubent, & cum nostris commune traditionibus.* HIST. *Perpaucißimi quidem implere nunc hoc munus ista ratione potuerũt.* PHI. *In legibus hoc amplius adiicit: Ab impuro, quia infensus est Deo, munera capere, neque Deum solere, neque bonum virum decere.* HIST. *Iccirco Dion Platonicus grandem pecuniam à Dyonisio Tyranno missam respuisse fertur.* THE. *Didicit ea Plato in libris Mosis, vt in Leuitico: Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedat dona offerre Deo. Idem in Exodo: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificẽtur, ne forte derelinquat eos dominus. Et Propheta, O Sacerdotes si non posueritis in corde vestro, vt detis honorem nomini meo, dicit dominus, mittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram. Et alibi: Peccatores Deus non audit. Et in parabolis: Victimæ impiorum abominabiles Deo sunt.* HIST. *Hem quàm male nobiscum agitur, qui pro benedictione, malorum Sacerdotum præcibus maledictionem recipimus. O miseram, & stultam plebeculã, quæ dum credit istorum supplicationibus Deum propitiari, quotidie emungitur, & tondetur, vt Deo tandem fiat infen-*

ſior. THE. *Noſtra ergo oratio in Deiparam dirigatur, quæ peccatoribus etiam aduocationem non denegat.* HIST. *Factu, & cogitatu religioſiſſimum.* THE. *Et vos pie tota mente intẽdite. Te Diua parẽs ſupplices exoramus: tuis meritis, tuiſque precibus impetra, vt diuini Spiritus illapſu, illuſtratis animis, veritatem in ſingulis eruamus. Audacter nunc, ac fidenter ad opus accedamus.* PHI. *Principem dicis, ſapiẽtiſſime Iuriſperite, ſuis non ligari legibus?* IVR. *Prorſus.* PHI. *Ligatur ne alienis?* IVR. *Minime.* PHI. *Ergo neque ſuis, neque ligatur alienis.* IVR. *vtique.* PHI. *Si neque ſuis, neque ligatur alienis, ergo nullis.* IVR. *Non dixi omnino nullis; alioquin tyrãnum defenderẽ.* PHI. *Quid iccirco ſentis? ſi dicis, nonnullis, ergo aliquibus.* IVR. *Non ita nego teneri, quod nullis omnino non ligetur, & per hoc, neque diuinis, neque humanis: ſed alienis, ideſt quæ poſitu ciuili ſunt alienæ.* PHI. *Ergo iis, quæ ab vniuerſo ſcriptæ ſunt populo, eſt ſolutus.* IVR. *Nulli dubium.* PHI. *Et propterea Lege regia eſt ſolutus.* IVR. *Hoc ipſum enim Lege regia continetur, vt legibus ſolutus eſſet.* PHI. *Legiſtin tu Legem regiam?* IVR. *Non habemus.* PHI. *Diuinator ſic mihi videris, non legum peritus.* IVR. *Liquet, inter nos locupletiſſimo Vlpiani*

testimonio, Po. Ro. qui suis legibus solutus erat, Lege regia omne suum imperium, ac potestatem in Principem trăstulisse. PHI. *De hac re paulo post disseremus. At nunc ad quæsita responde.* IVR. *Quid desideras?* PHI. *Lex regia a quo lata dicitur?* IVR. *à* S. P. Q. R. PHI. *Populi ergo lex fuit.* IVR. *Quis ambigit?* PHI. *Si populi lex est, & illa tenetur: ergo lege populi tenetur.* IVR. *Sophismata loqueris: aio quidem Lege regia solutum Principem, idest, ad hoc lata, vt legibus solutus non ignoraretur: quomodo ita quis ea religari potest, qua liber solutúsque esse iubetur?* PHI. *Responde quæso: fuit ne in arbitrio populi eam ferre, & non ferre legem?* IVR. *Fuit vtique.* PHI. *Et illis conditionibus quæ placuissent populo?* IVR. *Concedo.* PHI. *Potuit ne princeps aliis conditionibus principatum inire, quàm quæ Lege regia sunt scriptæ?* IVR. *Nequaquam.* PHI. *Ergo conditionibus Legis regiæ parebit princeps.* IVR. *Proculdubio, nisi velit Tyrannidem exercere.* PHI. *Ergo Lege regia ligatur Princeps: & per hoc, populi.* THE. *Negari non potest, cede.* IVR. *Cedo ligari illa sola.* PHI. *Et nisi eadem lege cautum sit, aliis quibusdam subiici.* IVR. *Videtur.* PHI. *Quid? si Lege regia cautum sit omnibus teneri?* IVR. *Subsisto: quoniam isto*

modo à priuato distare non videretur: Verum talis inquisitio superuacua est: quũ liqueat, legibus & populi, & suis solutũ. PHI. *Nimis propere: nondum liquet, quod haud multo post excutiemus. Firmum sit itaque inter nos, lege diuina, & naturali, ac regia solutũ non esse principem.* IVR. *Esto.* PHI. *Rogare omiseram, si quid diuini, vel naturalis iuris Princeps suis legibus inseruerit, diuinóne iuri sic, vel naturali solutus erit?* IVR. *Captio hæc esset.* PHI. *Non intelligo.* IVR. *Diuino, & gentium iure omnino tenetur Princeps, suis vel interserat legibus, vel non interserat: diuina etenim iura, ac naturalia facto hominis neque mutari neque labefactari queunt.* PHI. *Et si supersint adhuc quædam, de Lege regia cõuenit prius excutiamus: quo pacto accipitis illud, Neminem sibi legem dicere posse?* IVR. *Doctores nostri exemplum capiunt à testatore, qui nulla ratione potest ita testamentum cõdere, quin valeat aliud, atque aliud mutare.* PHI. *In arbitrio iccirco semper est suo?* IVR. *Proculdubio: etiam si iuramento, vel stipulatione se obstrinxerit: quoniam moribus improbatũ est id ligamen:* PHI. *Dic quæso: quam diu non mutauerit, erit ne valide scripta volũtas?* IVR. *Validissime.* PHI. *Ni fallor concludit hæc ratio, in arbitrio Principis esse legem*

abrogare. IVR. Certe. PHI. Sed antequam abrogetur, illi stabitur veluti testamēto non mutato? IVR. Prorsus. PHI. Si stari conuenit, ergo non abrogata lege Princeps ligatur. IVR. Scite dictum, stari conuenit, non autem, oportet. PHI. Alia est consideratio: Si conuenit, vtrum oporteat. Ipse nunc inquam stari oportere. IVR. Exempla, rerum imagines sunt, non regulæ: facilioris enim demonstrationis gratia adhibentur: non me fugit exemplo testatoris minime probari licentiam principis erga leges: sane indubitati iuris est, quod nemo sibimet legem dicere potest. PHI. Dic quæso: pactis conuentis obstringitur Princeps? IVR. Vtique. PHI. Lege ergo cōuentionis obstringitur. IVR. Non dubium. PHI. A seipso, an ab alio sic obstringitur? IVR. Lege, à seipso, & alio dicta. PHI. Ergo, non suo placito. IVR. Immo suo, & alterius contrahentis. verum non eadem generalis, & legis conuentionalis est ratio: Lex enim generalis à solo Principe vt vulgari potest, æque ab eodem solo abrogari potest: Cōtractus autem & conuentiones, veluti sine plurium consensu haud conficiuntur, similiter sine eorundem consensu minime dissoluuntur: & hoc natura propriissimum est, eodem vnumquodque vinculo dissolui, quo colligatum est. PHI. In summa,

lege contractus ligari ais Principem, quia à se solo non dicitur: lege autem cõstitutionis, secus, quia à se solo dicitur. IVR. *Recte tenes.* PHI. *Ergo si quid statuat Princeps, Senatus populiue consensu, ligaretur Princeps.* IVR. *nequaquam, humanißime: qui facit populi adhibere consensum, cõsideratius sic tulisse legẽ creditur. nihil de Principis minuitur majestate, si sapientum cõsilio Remp. administret; quinimmo plus ponderis, & auctoritatis suis adiũgit actibus.* PHI. *Non igitur interest solus, vel cum alio legem ferat.* IVR. *Ita prorsus: in promulganda lege nõ hoc agitur, vt ipse ligetur Princeps.* PHI. *Quid si ageretur?* IVR. *subsisto: verũtamen quis impellet eum legibus parere? frustratoria lex esse non debet. propter hanc etiam causam cõtendimus, non deuinciri legibus, qui, sibimet vti non præcipere, pariter nec semet cogere potest.* PHI. *Animaduerte quid loqueris.* IVR. *Scio hanc rationem omnibus probari.* PHI. *Caue ne decipiaris.* IVR. *Nihil vulgarius in iure nostro: non decipior.* PHI. *De tyranno, an de principe sentis?* IVR. *De vero Rom. Principe & sentio, & loquor: quid causæ est, quòd de Tyranno potius, quàm de Principe arbitreris?* PHI. *Recordare, quod paulo ante concesseras, Tyrannidis esse nullis teneri legibus.* IVR. *Plane conceßi,*

& concedo. PHI. *Si diligenter inspicis, nihil aliud ista ratione efficitur, quàm, quod nō magis diuina, aut humana, aut regia, aut cōuentionali lege teneatur, postquam neque ab alio, neque à seipso cogi potest legibus parere. quid iuris, nos quærimus, non quid iniuriæ & licentiosæ potētiæ. alioquin princeps, neque fur, neque adulter, neque raptor, neque sacrilegus esse poterit, sicut legum ista ratione neque temerator.* IVR. *Natura turpia sunt hæc, quæ nulla hominum constitutione queunt fieri licita.* PHI. *quid tum, si ab impunitate metimur licita, & illicita?* IVR. *Quid ais?* PHI. *Id ipsum, quod paulo ante dicebas, Principem ideo legibus solutū, quia compelli non potest legibus parere. quæ vox nihil aliud sibi vult, nisi omnia principi licere, postquam neq; à seipso, neq; ab alio cogi potest. de quo modò ex his conflatur, solum Pont. Romanum solutum esse legibus. attamen nihil refert, Papam, vel alium noster respiciat sermo, postquā de eo loquimur, qui supremus est Princeps.* THE. *Animaduertite viri disertißimi, quod idem Thomas in illud psal. Tibi soli peccaui, &c. iccirco soli Deo peccare Rex dicitur, quia non est homo, inquit, qui facta eius iudicet.* HIST. *Psallentis Dauidis verba sunt hæc, qui à Deo Rex fuit ante R. Imperium.* THE.

De omnibus indefinite Regibus Thomas loquitur. IVR. *Ioannes Andreæ, vir in iuris scientia sapientissimus, subtiliter in vtramque partem disputando defendit, Episcopum non ligari suis legibus, quem Pont. Romano, & aliis primatibus obedire non ignoramus: vnde perspicuum fit, non inde pendere, quòd Princeps principum sit.* PHI. *Vnde ergo pendere debent?* IVR. *Sufficit eiusmodi sit Princeps quod in arbitrio suo sit legem dicere, & tollere. adiecítque idem Ioan. Andr. inutiliter de seipso statuere Episcopum.* PHI. *Multo magis ergo maior Episcopo.* IVR. *Nihil obstat.* PHI. *Sed cur inualide de se ipso legem fert?* IVR. *Si quidem par in parem non habet imperium, multo certe minus in seipsum.* PHI. *Quid si par pari se subiicit?* IVR. *Est receptum, Vlpianus ait, eóque iure vtimur, Siquis maior, vel æqualis se subiiciat iurisdictioni alterius, in eum ius dici posse.* PHI. *Cur legi, quæ maioris auctoritatis est, se non potest subiicere, & rationi per quam homo est?* IVR. *Quoniam lex ab ipso est, nec quisquam subiici sibimet potest.* PHI. *Ergo qui suæ se legi subiicit, sibimet se subiicit.* IVR. *Videtur.* PHI. *Lex igitur, & princeps idem sunt.* IVR. *non idem.* PHI. *Si legibus parẽdo Principi obeditur, mortuo sic principi obe-*

diretur. mortuóque se subiicit, qui legibus mortui obedit. HIST. *Similiter Po. Romanus expulsis Tarquinis obediuit, qui eorundem expulsorum legibus obediuit.* IVR. *Neque mortuis quippe regibus, neque eiectis obeditur. & sublatis de medio regibus, sublatæ simul eorundem non intelliguntur leges.* PHI. *Quid causæ est?* IVR. *Non succurrit.* PHI. *Sublatis Tyrannis eorum non rata sunt acta rerũ.* IVR. *Quòd Princeps iure legitimo, Tyrannus vero contra.* PHI. *Quid istud ius legitimũ?* IVR. *Quòd rex secundum leges regnat, Tyrannus secus.* PHI. *Ius istud legitimum nunquid aliud est, quàm ius publicum? id est, populi; cuius iure lex cõstituitur.* IVR. *Ius principatus arbitror.* PHI. *Ius principatus ais: dic quæso qua potestate Princeps constituitur?* IVR. *Sua ipsius.* PHI. *Princeps à seipso, an ab alio princeps est?* IVR. *Nihil refert à seipso, an ab alio sit, qui vbi principatum adeptus est, à seipso, idest suo principatu potestatem habet.* PHI. *Principatus ab æterno est? an aliquando esse cœpit?* IVR. *omnium parẽs Natura, siue Deus ab initio omnes homines æquales genuit. ingruentibus deinde necessitatibus, processit non eadem omnium conditio, & officiũ; sic cœperunt regna & Principatus hominum conuentionibus.* PHI. *Prin-*

cipatus ergo non à se ipso, sed ab alio quandoque esse cœpit. IVR. *Non dubium Principem Romanũ prouidentia Pop. Romani cœpisse.* HIST. *Iulius Cæsar, inuito Pop. Romano atque expugnato, obtinuit principatum.* PHI. *Archityrannum loqueris.* IVR. *Archityrannum memoras Cæsarem?* PHI. *Cæsarem.* HIST. *Nullus ædepol vrbi vnquã infestior, expilato sane ærario, direptis templis, profanato diuino, humanóque iure, infestis armis, sacrosanctam patriæ libertatem primus violauit, atque eripuit.* PHI. *Quomodo ergo prouidentia Pop. Romani principatus esse cœpit?* HIS. *Cæsar Octauius primus à Populo Rom. Augustus est appellatus.* IVR. *Decreto Pop. Rom. Princeps fuit, quod Lex regia dicta est.* PHI. *Ex auctoritate ergo Legis regiæ Princeps dicitur, atque constituitur?* IVR. *Etiam Imperator, Constantini confessione, dicentis de auctoritate iuris Principatũ pendere; auctoritatem scilicet Legis regiæ Accursius, & omnes intelligunt.* PHI. *Nunc quæso aduertite quam lucide ex his efficitur, Principẽ, qui suis se legibus subiicit, illi se subdere potestati, qua constituitur.* IVR. *Animaduerto.* PHI. *Palámque fit, non sibimet subiici, sed maiori cuidam auctoritati.* IVR. *Diligenter cõsidera quæ loqueris, vir sapientißime: noua nimirum*

mirum sunt ista. Maius esse quippiam in Ciuitate ipso principatu: & Principem, suis qui se subiicit legibus, nõ suæ se subdere potestati, quasi Princeps alia potestate, quàm principatus, leges constituat: & per hoc defendi posse, legẽ Principis maioris esse auctoritatis, quàm ipse sit Princeps, vel principatus. Hinc etiam illud effici, non fore in arbitrio Principis suas abrogare leges, si maioris auctoritatis sunt leges, quàm ipse sit principatus. PHI. *Ingeniose colligis, & subtilius quærere videris, Nunquid in Ciuitate maior sit ipso principatu potestas: Nũquid Princeps alia leges cõstituat auctoritate, quàm principatus: Nunquid maioris auctoritatis leges ipso principatu existant. postremo, Num in arbitrio sit Principis, leges tollere. Quãuis inter nos disputetur vtrum princeps valeat suis ligari legibus, percommode incidunt quæstiones, quas facis: sine quibus omnis nostra disputatio extricari non potest: & quo facilius earum procedat discußio, ad quæ rogauero nõ dedignaberis breuiter respondere.* IVR. *Morem geram.* PHI. *Nõne maior Legis regiæ vis est, atque potestas, quàm ipse sit principatus?* IVR. *Subsisto. Cardinales summum Pont. eligunt, qui ab omni parte maior est ipso collegio.* PHI. *Non hoc sciscitor, Cuius potior auctoritas electi sit, vel eli-*

gentium: ſed Nunquid vis atque poteſtas maior ſit eius iuris, quo principatus ſit, an Principatus ipſe? &, vt tuo vtar exemplo, Nunquid vis ac poteſtas maior ſit eius iuris, quo Papatus conſtitit, an ipſe Papatus? THE. *Scite philoſopharis: nam Papa auctoritate & potentia diuina conſtat, & non eligẽtium Cardinalium: quæ quidem electio declaratio magis eſt hominis vnius, in quo Chriſti reſideat auctoritas.* IVR. *Haud latet nos iſtud; propter quod dicimus, mox vt declaratus Papa eſt quiſpiam, plenam habere clauium poteſtatem.* PHI. *A quo habet?* IVR. *A Deo.* PHI. *Et cuius inſtitutione?* IVR. *Non alia, quam diuina.* PHI. *Nonne auctoritas, & inſtitutio diuina, qua eligitur Papa, maior eſt ipſo Papatu?* IVR. *Prorſus.* PHI. *Similiter auctoritas ac vis, qua Princeps cõſtituitur, maior eſt ipſo principatu.* IVR. *Non eadem in vtroque ratio. nam Papa ſemper eſt minor ſuo authore: Princeps verò non princeps eſſet, ſi minor eſſet ſuo populo. pugnãt præeſſe, & ſubeſſe; qui ſubditus eſt natura non patitur maior ſit ſuo Principe.* HIS. *Credis tu populum Rom. in dominum ſibi Principem ſuſcepiſſe, ſéque illi vt mancipium dedidiſſe?* IVR. *Quid obſtat?* PHI. *Huius rei tota cognitio pendet ab hiſtoria: quam tantiſper obſecro diffe-*

ramus donec ratiocinatione pugnatur. HIST. *Auſcultabo. dic breuiter. non enim patiar amplius iſtos leguleios tanto in errore deliteſcere. vehementer excrucior, quod, rerum Romanarũ ſponte ignari, non erubeſcunt de inſtitutis Romanis ſeſe exhibere magiſtros.* PHI. *Dic quæſo quid maius cenſes eligere, an creari aliquid à creatore?* IVR. *Proculdubio creare: plus enim iuris habet: eligere verò, plus facti. & ideo ſerui & deportati, & cæteri, iuris incapaces, poſſũt electionis fieri compotes.* PHI. *Dic rurſus, creatura poteſt eſſe maior ſuo creatore?* IVR. *Haud quaquam.* PHI. *Populus, qui nouum magiſtratum, vel principatum inſtituit, nonne id creat, quod ante non fuit?* IVR. *Quidni?* PHI. *Et ſuo iure, auctoritate, & potẽtia creat?* IVR. *Fateri conuenit.* PHI. *populus creans maior eſt à ſe creato Principe, ſuo veluti effecto maior ſua quæque cauſa, ſimiliter ipſum ius, authoritas, atque poteſtas, qua creatur Princeps, maius quiddam eſt ſuo principatu.* IVR. *Cõcedo dum creat, ſed vbi creatus eſt, ſupereminet ſuo populo. Nam in hoc creatur, vt eſſet Princeps, id eſt, maior.* PHI. *Scilicet vniuerſo populo.* IVR. *Cuius alterius?* PHI. *Vt eſſet ciuium ſingulorum. dic age populus ſponte, an inuitus Principem ab initio conſtituit?* IVR. *Nemine co-*

gente, communi nisi commodo, quod interdum necessitatis vim habet, PHI. *Seruitus sponte subitur an contra?* IVR. *Non nisi ab inuito quoque.* PHI. *Credibile est ergo, non in dominum populum sibi præfecisse Principem.* IVR. *Non verissimile, verumtamen fecit.* PHI. *Redis ad historiam.* IVR. *Vt quid ergo princeps est?* PHI. *Vt princeps sit, non dominus: vt volentibus imperet, & nō dominetur inuitis, quod proprium est Tyrānidis, vt supra retulimus, si memineris.* IVR. *Non oblitus sum.* PHI. *Dic amice, supremus quātumuis magistratus, est ne maior vniuerso populo, cuius auctoritate magistratus est?* IVR. *Non ædepol: minister sane est. inutiliter iura à populo scriberentur, nisi essent, qui illa gererēt.* PHI. *Num magistratus minor est vt populo, ita ciuibus quibúsque?* IVR. *Singulis quidem maior, in quos exercet imperium: vniuerso verò populo inferior, cuius minister est: veluti seruus aut libertus vniuersitatis non est singulorum seruus neque libertus, æque magistratus non est singulorum minister, sed superior; agit enim in singulos vices, ac populi potestatem. nam vniuersus populus simul nequit omnia gerere. Ideo magistratus constituit, qui eius vices agant.* PHI. *Quicquid ergo magistratus facit ac gerit, populi au-*

ctoritate facit & gerit. nec diuersum de Principe censendũ est. IVR. *Atqui diuersa satis est causa principatus. nam perpetuus est, suoq; nutu ac iure gubernat omnia. Magistratus autem temporanei sunt, vt populi arbitrio variabiles, ita etiam administrantes.* PHI. *Dic quæso, menstruus magistratus nonne magistratus est?* IVR. *Vtique.* PHI. *Et annuus?* IVR. *Etiam.* PHI. *Et decennalis?* IVR. *Nihilominus magistratus est etiam vicennalis, & tricennalis.* PHI. *Nunquid tricennalis, quòd diuturnior est, amplius quàm magistratus est? & menstruus vel annuus, quia menstruus vel annalis est, ideo magistratus non erit?* IVR. *Veluti menstruus, & annalis, quia huiusmodi est, non ideo minus magistratus est: pariter tricennalis, ac longior magis, nihilomagis magistratus est.* PHI. *Tempus ergo non est efficiens magistratum.* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Sic ergo perpetuus vel momentaneus magistratus nihilominus magistratus est.* IVR. *Nihil obstat.* PHI. *Principatus non est aliud ista ratione, quàm magistratus quidã perpetuus: & propterea non plus quam populi magistratus. Cur ergo non auctoritate & iure populi gerit ac cõstituit, sicuti cæteri magistratus? Cur similiter ipso populo non inferior?* IVR. *Concederem,*

nisi Princeps super omnes Magistratus esset. PHI. *Firmũ sit inter vos perennitatem tẽporis non facere quo minus Princeps sit magistratus.* IVR. *Sit firmum vt libet: quid tum?* PHI. *Non est nouum in Ciuitate plures esse magistratuum ordines, alios maiores, alios minores. qui maiores, vnus vel plures, non eo minus aut magis magistratus sunt, quòd supremum locũ obtineant, vt Consules, licet infra se sint Prætores, Censores, Ædiles, & deinceps reliqui.* IVR. *Alio imperio supereminet Princeps, alio maiores magistratus: pendent ab eo omnes, creantúrque, & ad arbitrium abrogãtur.* PHI. *Qua ratione?* IVR. *Iure principatus.* PHI. *Iure principatus, an quòd populus sic sciuit?* HIST. *Dictatores constat ante Imperatores haud minorem potestatẽ exercuisse, neque aliunde quàm quòd populo sic placuit.* PHI. *Et similiter si ex voluntate, magistratus creat vel abrogat, & alia omnia aut inuito dixeris populo, aut cõtra. Si inuito, Tyrannis, non Principatus est. Si non inuito, ergo illa potestate facit, quam populus sciuit.* HIS. *Fallitur qui putat semper in arbitrio fuisse Principum magistratus facere, & abrogare. nam diuus Aug. legem Iuliam de ambitu tulit, qua multiplici pæna ambitũ coercuisse Tranquillus meminit; mitius enim lege*

Calphurnia, deinde. S.C. quod Cicerone Cõsule factũ fuit, ante puniebatur. Hinc Antistius Labeo, & Iuris Ciuilis, & omnium bonarum artium scientia pollens, ab Augusto oblatum Consulatum renuit, quòd neque ipsi dare, neque sibi capere contra leges, & mores fas esset: quòd ex voluntate Augusti si deferebantur magistratus, frustra graui sanctione legis Iuliæ ambitũ cohibuisset. Præterea multos legimus Principes cãdidatos in campũ descendisse: & præ cæteris pro tertio Consulatu diuum Traianum ante sedentem Consulem stetisse: & in eius manibus ex more iurasse in leges. IVR. *His congruunt Modestini ad legem Iuliam de ambitu, verba: Hæc lex, inquit, hodie in vrbe cessat. ad curam Principis magistratuũ creatio pertinet, nõ ad fauorẽ populi. Hodie, ait, quasi non prius, aut nõ semper sub Imperatoribus ea lex cessasset.* HIS. *Modestinus hic Maximini Imper. temporibus floruit. Iam tunc, imperium, & ante desciuerat in Tyrannidem.* IVR. *A te mihi explanari velim, qualis fuit popularis fauor ille.* HIS. *Coitiones populares ad creandos magistratus, ad leges ferendas, Comitia appellarunt. cum Consularia, quibus de creandis Coss. agebatur, tum Prætoria, Censoria, Ædilitia, & reliquorum denique magistratuũ, quorum alia calata, alia cu-*

lege contractus ligari ais Principem , quia à se solo non dicitur: lege autem cõstitutionis, secus, quia à se solo dicitur. IVR. *Recte tenes.* PHI. *Ergo si quid statuat Princeps, Senatus populiue consensu, ligaretur Princeps.* IVR. *nequaquam, humanißime: qui facit populi adhibere consensum, cõsideratius sic tulisse legẽ creditur. nihil de Principis minuitur majestate, si sapientum cõsilio Remp. administret; quinimmo plus ponderis, & auctoritatis suis adiũgit actibus.* PHI. *Non igitur interest solus, vel cum alio legem ferat.* IVR. *Ita prorsus: in promulganda lege nõ hoc agitur, vt ipse ligetur Princeps.* PHI. *Quid si ageretur?* IVR. *subsisto: verũtamen quis impellet eum legibus parere? frustratoria lex esse non debet. propter hanc etiam causam cõtendimus, non deuinciri legibus, qui, sibimet vti non præcipere, pariter nec semet cogere potest.* PHI. *Animaduerte quid loqueris.* IVR. *Scio hanc rationem omnibus probari.* PHI. *Caue ne decipiaris.* IVR. *Nihil vulgarius in iure nostro: non decipior.* PHI. *De tyranno, an de principe sentis?* IVR. *De vero Rom: Principe & sentio, & loquor: quid causæ est, quòd de Tyranno potius, quàm de Principe arbitreris?* PHI. *Recordare, quod paulo ante concesseras, Tyrannidis esse nullis teneri legibus.* IVR. *Plane concesßi,*

& concedo. PHI. *Si diligenter inſpicis, nihil aliud iſta ratione efficitur, quàm, quod nõ magis diuina, aut humana, aut regia, aut cõuentionali lege teneatur, poſtquam neque ab alio, neque à ſeipſo cogi poteſt legibus parere. quid iuris, nos quærimus, non quid iniuriæ & licentioſæ potẽtiæ. alioquin princeps, neque fur, neque adulter, neque raptor, neque ſacrilegus eſſe poterit, ſicut legum iſta ratione neque temerator.* IVR. *Natura turpia ſunt hæc, quæ nulla hominum conſtitutione queunt fieri licita.* PHI. *quid tum, ſi ab impunitate metimur licita, & illicita?* IVR. *Quid ais?* PHI. *Id ipſum, quod paulo ante dicebas, Principem ideo legibus ſolutũ, quia compelli non poteſt legibus parere. quæ vox nihil aliud ſibi vult, niſi omnia principi licere, poſtquam neq; à ſeipſo, neq; ab alio cogi poteſt. de quo modo ex his conflatur, ſolum Pont. Romanum ſolutum eſſe legibus. attamen nihil refert, Papam, vel alium noſter reſpiciat ſermo, poſtquã de eo loquimur, qui ſupremus eſt Princeps.* THE. *Animaduertite viri diſertiſſimi, quod idem Thomas in illud pſal. Tibi ſoli peccaui, &c. iccirco ſoli Deo peccare Rex dicitur, quia non eſt homo, inquit, qui facta eius iudicet.* HIST. *Pſallentis Dauidis verba ſunt hæc, qui à Deo Rex fuit ante R. Imperium.* THE.

De omnibus indefinite Regibus Thomas loquitur. IVR. *Ioannes Andreæ, vir in iuris ſcientia ſapientiſsimus, ſubtiliter in vtramque partem diſputando defendit, Epiſcopum non ligari ſuis legibus, quem Pont. Romano, & aliis primatibus obedire non ignoramus: vnde perſpicuum ſit, non inde pendere, quòd Princeps principum ſit.* PHI. *Vnde ergo pendere debent?* IVR. *Sufficit eiuſmodi ſit Princeps quod in arbitrio ſuo ſit legem dicere, & tollere. adiecítque idem Ioan. Andr. inutiliter de ſeipſo ſtatuere Epiſcopum.* PHI. *Multo magis ergo maior Epiſcopo.* IVR. *Nihil obſtat.* PHI. *Sed cur inualide de ſe ipſo legem fert?* IVR. *Si quidem par in parem non habet imperium, multo certe minus in ſeipſum.* PHI. *Quid ſi par pari ſe ſubiicit?* IVR. *Eſt receptum, Vlpianus ait, eóque iure vtimur, Siquis maior, vel æqualis ſe ſubiiciat iuriſdictioni alterius, in eum ius dici poſſe.* PHI. *Cur legi, quæ maioris auctoritatis eſt, ſe non poteſt ſubiicere, & rationi per quam homo eſt?* IVR. *Quoniam lex ab ipſo eſt, nec quiſquam ſubiici ſibimet poteſt.* PHI. *Ergo qui ſuæ ſe legi ſubiicit, ſibimet ſe ſubiicit.* IVR. *Videtur.* PHI. *Lex igitur, & princeps idem ſunt.* IVR. *non idem.* PHI. *Si legibus parẽdo Principi obeditur, mortuo ſic principi obe-*

diretur. mortuóque se subiicit, qui legibus mortui obedit. HIST. *Similiter Po. Romanus expulsis Tarquinis obediuit, qui eorundem expulsorum legibus obediuit.* IVR. *Neque mortuis quippe regibus, neque eiectis obeditur. & sublatis de medio regibus, sublatæ simul eorundem non intelliguntur leges.* PHI. *Quid causæ est?* IVR. *Non succurrit.* PHI. *Sublatis Tyrannis eorum non rata sunt acta rerũ.* IVR. *Quòd Princeps iure legitimo, Tyrannus vero contra.* PHI. *Quid istud ius legitimũ?* IVR. *Quòd rex secundum leges regnat, Tyrannus secus.* PHI. *Ius istud legitimum nunquid aliud est, quàm ius publicum? id est, populi; cuius iure lex cõstituitur.* IVR. *Ius principatus arbitror.* PHI. *Ius principatus ais: dic quæso qua potestate Princeps constituitur?* IVR. *Sua ipsius.* PHI. *Princeps à seipso, an ab alio princeps est?* IVR. *Nihil refert à seipso, an ab alio sit, qui vbi principatum adeptus est, à seipso, idest suo principatu potestatem habet.* PHI. *Principatus ab æterno est? an aliquando esse cœpit?* IVR. *omnium parẽs Natura, siue Deus ab initio omnes homines æquales genuit. ingruentibus deinde necessitatibus, processit non eadem omnium conditio, & officiũ; sic cœperunt regna & Principatus hominum conuentionibus.* PHI. *Prin-*

cipatus ergo non à se ipso, sed ab alio quandoque esse cœpit. IVR. *Non dubium Principem Romanũ prouidentia Pop. Romani cœpisse.* HIST. *Iulius Cæsar, inuito Pop. Romano atque expugnato, obtinuit principatum.* PHI. *Archityrannum loqueris.* IVR. *Archityrannum memoras Cæsarem?* PHI. *Cæsarem.* HIST. *Nullus ædepol vrbi vnquã infestior, expilato sane ærario, direptis templis, profanato diuino, humanóque iure, infestis armis, sacrósanctam patriæ libertatem primus violauit, atque eripuit.* PHI. *Quomodo ergo prouidentia Pop. Romani principatus esse cœpit?* HIS. *Cæsar Octauius primus à Populo Rom. Augustus est appellatus.* IVR. *Decreto Pop. Rom. Princeps fuit, quod Lex regia dicta est.* PHI. *Ex auctoritate ergo Legis regiæ Princeps dicitur, atque constituitur?* IVR. *Etiam Imperator, Constantini confeßione, dicentis de auctoritate iuris Principatũ pendere; auctoritatem scilicet Legis regiæ Accursius, & omnes intelligunt.* PHI. *Nunc quæso aduertite quam lucide ex his efficitur, Principẽ, qui suis se legibus subiicit, illi se subdere potestati, qua constituitur.* IVR. *Animaduerto.* PHI. *Palámque fit, non sibimet subiici, sed maiori cuidam auctoritati.* IVR. *Diligenter cõsidera quæ loqueris, vir sapientißime: noua nimirum*

mirum ſunt iſta. Maius eſſe quippiam in Ciuitate ipſo principatu: & Principem, ſuis qui ſe ſubiicit legibus, nō ſuæ ſe ſubdere poteſtati, quaſi Princeps alia poteſtate, quàm principatus, leges conſtituat: & per hoc defendi poſſe, legē Principis maioris eſſe auctoritatis, quàm ipſe ſit Princeps, vel principatus. Hinc etiam illud effici, non fore in arbitrio Principis ſuas abrogare leges, ſi maioris auctoritatis ſunt leges, quàm ipſe ſit principatus. PHI. *Ingenioſe colligis, & ſubtilius quærere videris, Nunquid in Ciuitate maior ſit ipſo principatu poteſtas: Nūquid Princeps alia leges cōſtituat auctoritate, quàm principatus: Nunquid maioris auctoritatis leges ipſo principatu exiſtant. poſtremo, Num in arbitrio ſit Principis, leges tollere. Quāuis inter nos diſputetur vtrum princeps valeat ſuis ligari legibus, percommode incidunt quæſtiones, quas facis: ſine quibus omnis noſtra diſputatio extricari non poteſt: & quo facilius earum procedat diſcuſſio, ad quæ rogauero nō dedignaberis breuiter reſpondere.* IVR. *Morem geram.* PHI. *Nōne maior Legis regiæ vis eſt, atque poteſtas, quàm ipſe ſit principatus?* IVR. *Subſiſto. Cardinales ſummum Pont. eligunt, qui ab omni parte maior eſt ipſo collegio.* PHI. *Non hoc ſciscitor, Cuius potior auctoritas electi ſit, vel eli-*

gentium: sed Nunquid vis atque potestas maior sit eius iuris, quo principatus sit, an Principatus ipse? &, vt tuo vtar exemplo, Nunquid vis ac potestas maior sit eius iuris, quo Papatus constitit, an ipse Papatus? THE. *Scite philosopharis: nam Papa auctoritate & potentia diuina constat, & non eligẽtium Cardinalium: quæ quidem electio declaratio magis est hominis vnius, in quo Christi resideat auctoritas.* IVR. *Haud latet nos istud; propter quod dicimus, mox vt declaratus Papa est quispiam, plenam habere clauium potestatem.* PHI. *A quo habet?* IVR. *A Deo.* PHI. *Et cuius institutione?* IVR. *Non alia, quam diuina.* PHI. *Nonne auctoritas, & institutio diuina, qua eligitur Papa, maior est ipso Papatu?* IVR. *Prorsus.* PHI. *Similiter auctoritas ac vis, qua Princeps cõstituitur, maior est ipso principatu.* IVR. *Non eadem in vtroque ratio. nam Papa semper est minor suo authore: Princeps verò non princeps esset, si minor esset suo populo. pugnãt præesse, & subesse; qui subditus est natura non patitur maior sit suo Principe.* HIS. *Credis tu populum Rom. in dominum sibi Principem suscepisse, séque illi vt mancipium dedidisse?* IVR. *Quid obstat?* PHI. *Huius rei tota cognitio pendet ab historia: quam tantisper obsecro diffe-*

ramus donec ratiocinatione pugnatur. HIST. Auſcultabo. dic breuiter. non enim patiar amplius iſtos leguleios tanto in errore deliteſcere. vehementer excrucior, quod, rerum Romanarũ ſponte ignari, non erubeſcunt de inſtitutis Romanis ſeſe exhibere magiſtros. PHI. Dic quæſo quid maius cenſes eligere, an creari aliquid à creatore? IVR. Proculdubio creare: plus enim iuris habet: eligere verò, plus facti. & ideo ſerui & deportati, & cæteri, iuris incapaces, poſſũt electionis fieri compotes. PHI. Dic rurſus, creatura poteſt eſſe maior ſuo creatore? IVR. Haud quaquam. PHI. Populus, qui nouum magiſtratum, vel principatum inſtituit, nonne id creat, quod ante non fuit? IVR. Quidni? PHI. Et ſuo iure, auctoritate, & potẽtia creat? IVR. Fateri conuenit. PHI. populus creans maior eſt à ſe creato Principe, ſuo veluti effecto maior ſua quæque cauſa, ſimiliter ipſum ius, authoritas, atque poteſtas, qua creatur Princeps, maius quiddam eſt ſuo principatu. IVR. Cõcedo dum creat, ſed vbi creatus eſt, ſupereminet ſuo populo. Nam in hoc creatur, vt eſſet Princeps, id eſt, maior. PHI. Scilicet vniuerſo populo. IVR. Cuius alterius? PHI. Vt eſſet ciuium ſingulorum. dic age populus ſponte, an inuitus Principem ab initio conſtituit? IVR. Nemine co-

gente, communi nisi commodo, quod interdum necessitatis vim habet, PHI. *Seruitus sponte subitur an contra?* IVR. *Non nisi ab inuito quoque.* PHI. *Credibile est ergo, non in dominum populum sibi præfecisse Principem.* IVR. *Non verisimile, verumtamen fecit.* PHI. *Redis ad historiam.* IVR. *Vt quid ergo princeps est?* PHI. *Vt princeps sit, non dominus: vt volentibus imperet, & nō dominetur inuitis, quod proprium est Tyrānidis, vt supra retulimus, si memineris.* IVR. *Non oblitus sum.* PHI. *Dic amice, supremus quātumuis magistratus, est ne maior vniuerso populo, cuius auctoritate magistratus est?* IVR. *Non ædepol: minister sane est. inutiliter iura à populo scriberentur, nisi essent, qui illa gererēt.* PHI. *Num magistratus minor est vt populo, ita ciuibus quibúsque?* IVR. *Singulis quidem maior, in quos exercet imperium: vniuerso verò populo inferior, cuius minister est: veluti seruus aut libertus vniuersitatis non est singulorum seruus neque libertus, æque magistratus non est singulorum minister, sed superior; agit enim in singulos vices, ac populi potestatem. nam vniuersus populus simul nequit omnia gerere. Ideo magistratus constituit, qui eius vices agant.* PHI. *Quicquid ergo magistratus facit ac gerit, populi au-*

ctoritate facit & gerit. nec diuersum de Principe censendũ est. IVR. *Atqui diuersa satis est causa principatus. nam perpetuus est, suoq́ nutu ac iure gubernat omnia. Magistratus autem temporanei sunt, vt populi arbitrio variabiles, ita etiam administrantes.* PHI. *Dic quæso, menstruus magistratus nonne magistratus est?* IVR. *Vtique.* PHI. *Et annuus?* IVR. *Etiam.* PHI. *Et decennalis?* IVR. *Nihilominus magistratus est etiam vicennalis, & tricennalis.* PHI. *Nunquid tricennalis, quòd diuturnior est, amplius quàm magistratus est? & menstruus vel annuus, quia menstruus vel annalis est, ideo magistratus non erit?* IVR. *Veluti menstruus, & annalis, quia huiusmodi est, non ideo minus magistratus est: pariter tricennalis, ac longior magis, nihilomagis magistratus est.* PHI. *Tempus ergo non est efficiens magistratum.* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Sic ergo perpetuus vel momentaneus magistratus nihilominus magistratus est.* IVR. *Nihil obstat.* PHI. *Principatus non est aliud ista ratione, quàm magistratus quidã perpetuus: & propterea non plus quam populi magistratus. Cur ergo non auctoritate & iure populi gerit ac cõstituit, sicuti cæteri magistratus? Cur similiter ipso populo non inferior?* IVR. *Concederem,*

nisi Princeps super omnes Magistratus esset. PHI. *Firmũ sit inter vos perennitatem tẽporis non facere quo minus Princeps sit magistratus.* IVR. *Sit firmum vt libet: quid tum?* PHI. *Non est nouum in Ciuitate plures esse magistratuum ordines, alios maiores, alios minores. qui maiores, vnus vel plures, non eo minus aut magis magistratus sunt, quòd supremum locũ obtineant, vt Consules, licet infra se sint Prætores, Censores, Ædiles, & deinceps reliqui.* IVR. *Alio imperio supereminet Princeps, alio maiores magistratus: pendent ab eo omnes, creantúrque, & ad arbitrium abrogãtur.* PHI. *Qua ratione?* IVR. *Iure principatus.* PHI. *Iure principatus, an quòd populus sic sciuit?* HIST. *Dictatores constat ante Imperatores haud minorem potestatẽ exercuisse; neque aliunde quàm quòd populo sic placuit.* PHI. *Et similiter si ex voluntate, magistratus creat vel abrogat, & alia omnia aut inuito dixeris populo, aut cõtra. Si inuito, Tyrannis, non Principatus est. Si non inuito, ergo illa potestate facit, quam populus sciuit.* HIS. *Fallitur qui putat semper in arbitrio fuisse Principum magistratus facere, & abrogare. nam diuus Aug. legem Iuliam de ambitu tulit, qua multiplici pœna ambitũ coercuisse Tranquillus meminit; mitius enim lege*

Calphurnia, deinde. S.C. quod Cicerone Cõsule factũ fuit, ante puniebatur. Hinc Antistius Labeo, & Iuris Ciuilis, & omnium bonarum artium scientia pollens, ab Augusto oblatum Consulatum renuit, quòd neque ipsi dare, neque sibi capere contra leges, & mores fas esset: quòd ex voluntate Augusti si deferebantur magistratus, frustra graui sanctione legis Iuliæ ambitũ cohibuisset. Præterea multos legimus Principes cãdidatos in campũ descendisse: & præ cæteris pro tertio Consulatu diuum Traianum ante sedentem Consulem stetisse: & in eius manibus ex more iurasse in leges. IVR. *His congruunt Modestini ad legem Iuliam de ambitu, verba: Hæc lex, inquit, hodie in vrbe cessat. ad curam Principis magistratuũ creatio pertinet, nõ ad fauorẽ populi. Hodie, ait, quasi non prius, aut nõ semper sub Imperatoribus ea lex cessasset.* HIS. *Modestinus hic Maximini Imper. temporibus floruit. Iam tunc, imperium, & ante desciuerat in Tyrannidem.* IVR. *A te mihi explanari velim, qualis fuit popularis fauor ille.* HIS. *Coitiones populares ad creandos magistratus, ad leges ferendas, Comitia appellarunt. cum Consularia, quibus de creandis Coss. agebatur, tum Prætoria, Censoria, Ædilitia, & reliquorum denique magistratuũ, quorum alia calata, alia cu-*

riata, alia cēturiata, dicebantur. Calata pro collegio Pontificum habebantur, & Flaminūm, & sacrorum augurandorum causa: vbi manumissiones, emancipationes, & testamenta per æs & libram fiebant. Calari, id est, conuocari per lictorem solebant. Hinc calata hodie vocitamus conuiuia ruralia, siue vinearia: quæ conuocatis vicinis & propinquioribus frequentamus. Curiata, vbi per Curias, idest, Tribus: quæ xxxv. erant, suffragia ferebantur. Centuriata, quando centuriatis, idest, per centurias suffragia adnotabantur. Die comitiorum Cādidati, idest magistratus petituri in Campum Martium descēdebant: qui maiori suffragiorum fauore vicisset Consul à Consule renunciabatur. ambientes itaque non gratia, sed præmio suffragia, lege Iulia de ambitu plectebātur. nam honores petituri, ambire id est circuire singulos solebāt, præstare dextras rogaréque, vt se suffragiis iuuarēt. habes hæc? IVR. *Habeo* HIS. *Quid admirabundus ergo cogitas?* IVR. *Mecum cogito atque perpendo, quàm male intelligant Doctores nostri illa Modestini verba, ex quibus deducunt cum Papa non contrahi simoniam.* HIS. *Quid habet commune simonia cum ambitu?* IVR. *Nihil me hercle, vt nunc didici. Simonia à Simone Mago, qui gratiam sancti Spiri-*

tus promercari voluit. Ambitus autem lex non cessat propter personam Principis. sed vbi cessat necessitas popularium suffragiorum ambiendi fauores, qui ad simonias non desiderãtur. THE. *Simon Petrus protopapa & ipse fuit, à quo Magus ille emere sanctualia prætentauit.* IVR. *Quid ergo?* THE. *Si Petrus licitatorem admisisset, vt tentatæ, sic consumatæ simoniæ diffinitionem ad nos transmisisset.* PHI. *Hem quo diuertistis? quid ad rem nostram simonia, vel ambitus?* IVR. *Si non ad nos, verùm ad me pertinet cuiusque legis mentem & vim non ignorare, ne per imprudentiam falsa consulentibus respondeam. At nuuc perge quô cœperas.* PHI. *Ex supradictis animaduertisti manifestũ fieri, Principatũ esse magistratũ quendam à populo institutũ: &, vt primum institutus fuit, talem cõsensum & auctoritatẽ ab vniuerso populo cepisse, vt quicquid ageret, eodẽ cõsensu & auctoritate agere videretur: quicquid ergo constituit Princeps, populi cõsensu & auctoritate statuere dictũ est: & per hoc non sua, sed populi auctoritate cõstituit, vt reliqui Magistratus.* IVR. *Vix mihi suaderi hoc potest. & sentio & aio, postquã Princeps cœpit esse, veluti quilibet Magistratus iure magistratus munia obit, eodem modo iure principatus obire Principem. habet enim quis-*

que magistratus sua quædam propria, quæ iure magistratus cōpetere dicuntur. pariter & Princeps habet sua ipsius, quæ iure Principatus gerit atque constituit. PHI. *Hæc sua ipsius iura cuiusmodi sunt?* IVR. *Sine prouocatione ius dicere, In caput ciuis animaduertere vel indulgere, Leges inprimis sine scitu populi condere vel abrogare, De bello & pace decernere; & alia multa; sine quibus Princeps non est.* PHI. *Quæ sunt illa, sine quibus Princeps esse non potest?* IVR. *Longum est singula persequi: in summa quicquid libuerit, ius & fas sit.* PHI. *Ad Tyrannum redis. Dic age, Princeps est à natura semper eodémque modo Princeps, & vbique similiter?* IVR. *Apertius edissere.* PHI. *Principatus ipse est à natura, siue hominum constitutione: & ideo vbique sibiipsi similis tam apud Romanos, quā Parthos, Scythas, Medos, & alias nationes omnes.* IVR. *Talis est, qualis suo cuiq; placet populo.* PHI. *Parthorum Princeps, Medorum, & Scytharum, si talis, qualis Parthis, Medis, & Scythis placet, nonne Romanus qualis Populus Romanus sciuit?* IVR. *Quis dubitat.* PHI. *Similiter & Iura Romani Principatus nō possunt alia esse quàm quæ Romanis placēt, veluti alia nequeunt principatus Parthici esse, ac Medici, quàm quæ Parthis, & Medis placent.*

IVR. *Prorſus.* PHI. *Iure ergo principatus illa competere dicendum, quæ populo placuerunt.* IVR. *Conuenit.* PHI. *Ex his, ſi diligenter cōſideras, palam fit, ius Principatus nihil aliud eſſe, quàm ius quoddam populi: & per hoc, iure populi & auctoritate quiſque Principatū agere, ac leges conſtituere; nec plus poſſe & valere, quā eius poteſt populus. finge illius populi Principem, qui nullius imperij ſit, proculdubio nihilo plus Regulus erit.* IVR. *Nō ſuccurrit quid obſtet.* PHI. *Quiſque ſuis paret legibus, & auctoritati populi, & imperio, quo leges cōſtituit: & per hoc ſuis ſe legibus ſubiicere non eſt impoßibile, vt dicebat.* THE. *Chryſoſtomus ad Hebræos: Non homo eſt, inquit, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. vnde plane deducitur, Quæ decernit Papa, poteſtate Chriſti ſtatui; eiúſque decreta, Chriſti intelligi.* HIS. *Siquid iniuſte Papa cōſtituit, iſta ratione Chriſtus conſtitueret.* THE. *Nullius mali auctor eſt Deus, neque eſſe poteſt, ligátque Papa, claue non errante.* PHI. *Si accurate quæ ſupradicta ſunt perpendimus, liquet maius ipſo Principe, quod eſſe diximus in Ciuitate, non eſſe magiſtratum aliquem, ſed populum ipſum vniuerſum ſimul, eiúſque imperium, licet ſinguli inferiores ſint*

ciues, & vi huius potestatis, quæ maior est ipso Principe, leges principales constitui: & quia leges Principis populi imperio cõstant, planum fit maioris auctoritatis esse ipso principatu, sicut reliquis magistratibus leges cõstituentibus. Nimirum igitur si suis subiicitur legibus, non quasi suis, sed vniuersi populi, cuius auctoritate sunt cõstitutæ, ac vigent. hinc est, quòd mortuo Principe, leges non intereunt, quia non interit populus, cuius auctoritate viuunt. Legimus, exactis Regibus, eorundem leges veneratas: neque mirũ videri debet, quum non eadem auctoritas atque potestas sit Principis, siue principatus, vt sæpe diximus, cum illa, qua Princeps est; veluti non eadem persona est Ciuitatis, & Principis, pariter non eadem persona est populi constituentis, & constituti Principis: &, veluti nõ idem sunt causa efficiens & effectum, æque non est eadem actio efficientis & effecti. & propterea haud ineleganter ait Cicero in Officiis, Magistratus gerere personam & dignitatem Ciuitatis. Nam in eo, quòd personam ciuitatis agit, nomine & iure Ciuitatis agit. Ita quod non ipse, sed persona scilicet Ciuitatis, quam gerit, dicitur constituere. exue personam Ciuitatis, & nihil efficiet. & ideo si ei personæ, quam geris, se subiicit, non sibi, sed personæ se subiicit Ciuitatis, aut ipsi Ci-

uitati. IVR. *Si ista persona est principatus, cui se subiicit, nonne ipsemet se subiicit principatui? exuta enim persona illa, Princeps non erit. Ideo est Princeps, quia personam induit Ciuitatis.* PHI. *Princeps, & principatus non idem sunt: vt corporeum, & incorporeũ; quãuis Princeps sine principatu, ac populo nõ sit, neque Princeps ipsa Ciuitas, neque persona ciuitatis. gerere enim ciuitatis personam, ait Cicero: qui gerit, & idipsum quod geritur eadem esse non poßũt. & sicut diuersa sunt Princeps, & Ciuitas, exque persona Ciuitatis, quæ ab eo geritur, vt quid personã Ciuitatis agere dicitur, nisi quod quicquid sub ea persona fit, ipsa Ciuitas agere dicatur. Si ergo ex persona Ciuitatis agit, non ipse magis agere, quàm ciuitas videri potest.* IVR. *Principis igitur constitutiones, non Principis, sed populi essent, quòmodo dicũtur Principis, si populi sunt?* PHI. *Quia se ministro, vt Iulia de adulteriis, Cornelia de falsis, & similes. Dic age, qui negotium mãdat, & qui suscipit, sunt idem?* IVR. *Minime* PHI. *Qui mandatum exequitur, cuius personã gerit?* IVR. *Mandãtis.* PHI. *Persona, quam gerit, cuiusmodi est? Se maior, an contra?* IVR. *Ipso quidem mandatario maior.* PHI. *Mandatum suscipiendo; mandanti se subiicere quodammodo videtur.* IVR. *Mihi*

licet eius naturæ ſint, vt obſtringant. PHI. *Dic age obſtringunt ne volentem, & interim quàm diu vult ligant?* IVR. *Profectò.* PHI. *Ergo natura non impoßibile. Namque, naturalia vt infringi nequeunt, pariter quæ natura impoßibilia ſunt, nulla queunt humana ope fieri poßibilia.* IVR. *Me fugit, ædepol, quid dicam amplius: quinimmo Diuorum Alexandri, & Conſtantini reſcripta, quibus vltro ſeſe legibus ſubmiſerunt, & alligari velle ingenue proteſtãtur. quod ſi factu fuiſſet impoßibile, nugatorie reſcripſiſſent. adde, quod idem Alexander Antichonio reſcripſit, Ex imperfecto teſtamento Imperatorem capere non poſſe, ſæpe conſtitutũ eſſe.* PHI. *Capere non poſſe conſtitutum ait?* IVR. *Hæc ipſamet verba Imperatoris ſunt.* PHI. *Liquidißimum ergo eſt, Imperatoris etiam confeßione, legibus inferiorẽ eſſe Principem.* IVR. *Videtur.* HIST. *Audi quid iunior Plinius de Traiano dixerit: In noſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubieciſti Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. ſed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis.* PHI. *Audite, quem in modum nos deuinciant leges, Ciceronis verba pro Aulo Cluentio: Lex vinculum eſt, inquit, huius Ciuitatis, qua fruimur in Rep. Hoc fundamẽtũ libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus, & con-*

& consilium, & sententia Ciuitatis posita est in legibus. vt corpora nostra sine mēte, sic Ciuitas, sine legibus, partibus & neruis ac sanguine & membris vti non potest. legum ministri Magistratus, legum interpretes Iudices, legum denique iccirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. non enim Vinculum dixisset Cicero, nisi obligarent: neque legum Seruos appellasset, nisi in obedientia cōtinendi vim haberent. quæ quidem seruitus vera est libertas. Aristoteles in Rep. Seruitus non est, viuere ad formam Reip. sed salus. IVR. *Plus in recessu quàm in fronte, hæc habent difficultatis: vereórque, ne pugnātia contineant. quando Populus, siue Princeps suis ligatur legibus, duas necesse est personas sustineat, vnam Principis, alteram Subditi. Porro, ferendo leges, Principem agit: pariter & subditum induit, suis hisdem parendo legibus: præesse & subesse, imperare & obedire sibi simul ipsi natura non patitur. alia proculdubio opus est persona sit gubernantis, alia gubernati: neque ambigitur apud nos Populū vnius vice defungi, vnúmque corpus esse indiuiduum, vt noster declarat Baldus.* THE. *Immo nihil est, quod magis homines deceat, quàm sibiipsis imperare & obedire. Brutorum sane numero habentur, qui appetitus non moderantur ac cohibent: ne-*

gentium: sed Nunquid vis atque potestas maior sit eius iuris, quo principatus fit, an Principatus ipse? &, vt tuo vtar exemplo, Nunquid vis ac potestas maior sit eius iuris, quo Papatus constitit, an ipse Papatus? THE. *Scite philosopharis: nam Papa auctoritate & potentia diuina constat, & non eligẽtium Cardinalium: quæ quidem electio declaratio magis est hominis vnius, in quo Christi resideat auctoritas.* IVR. *Haud latet nos istud; propter quod dicimus, mox vt declaratus Papa est quispiam, plenam habere clauium potestatem.* PHI. *A quo habet?* IVR. *A Deo.* PHI. *Et cuius institutione?* IVR. *Non alia, quam diuina.* PHI. *Nonne auctoritas, & institutio diuina, qua eligitur Papa, maior est ipso Papatu?* IVR. *Prorsus.* PHI. *Similiter auctoritas ac vis, qua Princeps cõstituitur, maior est ipso principatu.* IVR. *Non eadem in vtroque ratio. nam Papa semper est minor suo authore: Princeps verò non princeps esset, si minor esset suo populo. pugnãt præesse, & subesse; qui subditus est natura non patitur maior sit suo Principe.* HIS. *Credis tu populum Rom. in dominum sibi Principem suscepisse, séque illi vt mancipium dedidisse?* IVR. *Quid obstat?* PHI. *Huius rei tota cognitio pendet ab historia: quam tantisper obsecro diffe-*

ramus donec ratiocinatione pugnatur. HIST. *Auscultabo. dic breuiter. non enim patiar amplius istos leguleios tanto in errore delitescere. vehementer excrucior, quod, rerum Romanarũ sponte ignari, non erubescunt de institutis Romanis sese exhibere magistros.* PHI. *Dic quæso quid maius censes eligere, an creari aliquid à creatore?* IVR. *Proculdubio creare: plus enim iuris habet: eligere verò, plus facti. & ideo serui & deportati, & cæteri, iuris incapaces, possũt electionis fieri compotes.* PHI. *Dic rursus, creatura potest esse maior suo creatore?* IVR. *Haud quaquam.* PHI. *Populus, qui nouum magistratum, vel principatum instituit, nonne id creat, quod ante non fuit?* IVR. *Quidni?* PHI. *Et suo iure, auctoritate, & potẽtia creat?* IVR. *Fateri conuenit.* PHI. *populus creans maior est à se creato Principe, suo veluti effecto maior sua quæque causa, similiter ipsum ius, authoritas, atque potestas, qua creatur Princeps, maius quiddam est suo principatu.* IVR. *Cócedo dum creat, sed vbi creatus est, supereminet suo populo. Nam in hoc creatur, vt esset Princeps, id est, maior.* PHI. *Scilicet vniuerso populo.* IVR. *Cuius alterius?* PHI. *Vt esset ciuium singulorum. dic age populus sponte, an inuitus Principem ab initio constituit?* IVR. *Nemine co-*

gente, communi nisi commodo, quod interdum necessitatis vim habet, PHI. *Seruitus sponte subitur an contra?* IVR. *Non nisi ab inuito quoque.* PHI. *Credibile est ergo, non in dominum populum sibi præfecisse Principem.* IVR. *Non verissimile, verumtamen fecit.* PHI. *Redis ad historiam.* IVR. *Vt quid ergo princeps est?* PHI. *Vt princeps sit, non dominus: vt volentibus imperet, & nō dominetur inuitis, quod proprium est Tyrānidis, vt supra retulimus, si memineris.* IVR. *Non oblitus sum.* PHI. *Dic amice, supremus quātumuis magistratus, est ne maior vniuerso populo, cuius auctoritate magistratus est?* IVR. *Non ædepol: minister sane est. inutiliter iura à populo scriberentur, nisi essent, qui illa gererēt.* PHI. *Num magistratus minor est vt populo, ita ciuibus quibúsque?* IVR. *Singulis quidem maior, in quos exercet imperium: vniuerso verò populo inferior, cuius minister est: veluti seruus aut libertus vniuersitatis non est singulorum seruus neque libertus, æque magistratus non est singulorum minister, sed superior; agit enim in singulos vices, ac populi potestatem. nam vniuersus populus simul nequit omnia gerere. Ideo magistratus constituit, qui eius vices agant.* PHI. *Quicquid ergo magistratus facit ac gerit, populi au-*

ctoritate facit & gerit. nec diuersum de Principe censendũ est. IVR. *Atqui diuersa satis est causa principatus. nam perpetuus est, suoq́; nutu ac iure gubernat omnia. Magistratus autem temporanei sunt, vt populi arbitrio variabiles, ita etiam administrantes.* PHI. *Dic quæso, menstruus magistratus nonne magistratus est?* IVR. *Vtique.* PHI. *Et annuus?* IVR. *Etiam.* PHI. *Et decennalis?* IVR. *Nihilominus magistratus est etiam vicennalis, & tricennalis.* PHI. *Nunquid tricennalis, quòd diuturnior est, amplius quàm magistratus est? & menstruus vel annuus, quia menstruus vel annalis est, ideo magistratus non erit?* IVR. *Veluti menstruus, & annalis, quia huiusmodi est, non ideo minus magistratus est: pariter tricennalis, ac longior magis, nihilomagis magistratus est.* PHI. *Tempus ergo non est efficiens magistratum.* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Sic ergo perpetuus vel momentaneus magistratus nihilominus magistratus est.* IVR. *Nihil obstat.* PHI. *Principatus non est aliud ista ratione, quàm magistratus quidã perpetuus: & propterea non plus quam populi magistratus. Cur ergo non auctoritate & iure populi gerit ac cõstituit, sicuti cæteri magistratus? Cur similiter ipso populo non inferior?* IVR. *Concederem,*

nisi Princeps super omnes Magistratus esset. PHI. *Firmũ sit inter vos perennitatem tẽporis non facere quo minus Princeps sit magistratus.* IVR. *Sit firmum vt libet: quid tum?* PHI. *Non est nouum in Ciuitate plures esse magistratuum ordines, alios maiores, alios minores. qui maiores, vnus vel plures, non eo minus aut magis magistratus sunt, quòd supremum locũ obtineant, vt Consules, licet infra se sint Prætores, Censores, Ædiles, & deinceps reliqui.* IVR. *Alio imperio supereminet Princeps, alio maiores magistratus: pendent ab eo omnes, creantúrque, & ad arbitrium abrogãtur.* PHI. *Qua ratione?* IVR. *Iure principatus.* PHI. *Iure principatus, an quòd populus sic sciuit?* HIST. *Dictatores constat ante Imperatores haud minorem potestatẽ exercuisse, neque aliunde quàm quòd populo sic placuit.* PHI. *Et similiter si ex voluntate, magistratus creat vel abrogat, & alia omnia aut inuito dixeris populo, aut cõtra. Si inuito, Tyrannis, non Principatus est. Si non inuito, ergo illa potestate facit, quam populus sciuit.* HIS. *Fallitur qui putat semper in arbitrio fuisse Principum magistratus facere, & abrogare. nam diuus Aug. legem Iuliam de ambitu tulit, qua multiplici pœna ambitũ coercuisse Tranquillus meminit; mitius enim lege*

Calphurnia,deinde. S.C. quod Cicerone Cõsule factũ fuit,ante puniebatur. Hinc Antistius Labeo,& Iuris Ciuilis, & omnium bonarum artium scientia pollens,ab Augusto oblatum Consulatum renuit, quòd neque ipsi dare,neque sibi capere contra leges,& mores fas esset: quòd ex voluntate Augusti si deferebantur magistratus, frustra graui sanctione legis Iuliæ ambitũ cohibuisset. Præterea multos legimus Principes cãdidatos in campũ descendisse: & præ cæteris pro tertio Consulatu diuum Traianum ante sedentem Consulem stetisse: & in eius manibus ex more iurasse in leges. IVR. *His congruunt Modestini ad legem Iuliam de ambitu, verba: Hæc lex, inquit, hodie in vrbe cessat. ad curam Principis magistratuũ creatio pertinet, nõ ad fauorẽ populi. Hodie,ait,quasi non prius,aut nõ semper sub Imperatoribus ea lex cessasset.* HIS. *Modestinus hic Maximini Imper. temporibus floruit. Iam tunc,imperium,& ante desciuerat in Tyrannidem.* IVR. *A te mihi explanari velim, qualis fuit popularis fauor ille.* HIS. *Coitiones populares ad creandos magistratus,ad leges ferendas, Comitia appellarunt. cum Consularia, quibus de creandis Coß. agebatur, tum Prætoria,Censoria,Ædilitia,& reliquorum denique magistratuũ,quorum alia calata,alia cu-*

riata, alia cẽturiata, dicebantur. Calata pro collegio Pontificum habebantur, & Flaminũm, & sacrorum augurandorum causa: vbi manumissiones, emancipationes, & testamenta per æs & libram fiebant. Calari, id est, conuocari per lictorem solebant. Hinc calata hodie vocitamus conuiuia ruralia, siue vinearia: quæ conuocatis vicinis & propinquioribus frequentamus. Curiata, vbi per Curias, idest, Tribus: quæ XXXV. erant, suffragia ferebantur. Centuriata, quando centuriatis, idest, per centurias suffragia adnotabantur. Die comitiorum Cãdidati, idest magistratus petituri in Campum Martium descẽdebant: qui maiori suffragiorum fauore vicisset Consul à Consule renunciabatur. ambientes itaque non gratia, sed præmio suffragia, lege Iulia de ambitu plectebãtur. nam honores petituri, ambire id est circuire singulos solebãt, præstare dextras rogaréque, vt se suffragiis iuuarẽt. habes hæc? IVR. *Habeo* HIS. *Quid admirabundus ergo cogitas?* IVR. *Mecum cogito atque perpendo, quàm male intelligant Doctores nostri illa Modestini verba, ex quibus deducunt cum Papa non contrahi simoniam.* HIS. *Quid habet commune simonia cum ambitu?* IVR. *Nihil me hercle, vt nunc didici. Simonia à Simone Mago, qui gratiam sancti Spiri-*

tus promercari voluit. Ambitus autem lex non cessat propter personam Principis. sed vbi cessat necessitas popularium suffragiorum ambiendi fauores, qui ad simonias non desiderãtur. THE. *Simon Petrus protopapa & ipse fuit, à quo Magus ille emere sanctualia prætentauit.* IVR. *Quid ergo?* THE. *Si Petrus licitatorem admisisset, vt tentatæ, sic consumatæ simoniæ diffinitionem ad nos transmisisset.* PHI. *Hem quo diuertistis? quid ad rem nostram simonia, vel ambitus?* IVR. *Si non ad nos, verùm ad me pertinet cuiusque legis mentem & vim non ignorare, ne per imprudentiam falsa consulentibus respondeam. At nuuc perge quô cœperas.* PHI. *Ex supradictis animaduertisti manifestũ fieri, Principatũ esse magistratũ quendam à populo institutũ: &, vt primum institutus fuit, talem cõsensum & auctoritatẽ ab vniuerso populo cepisse, vt quicquid ageret, eodẽ cõsensu & auctoritate agere videretur: quicquid ergo constituit Princeps, populi cõsensu & auctoritate statuere dictũ est: & per hoc non sua, sed populi auctoritate cõstituit, vt reliqui Magistratus.* IVR. *Vix mihi suaderi hoc potest. & sentio & aio, postquã Princeps cœpit esse, veluti quilibet Magistratus iure magistratus munia obit, eodem modo iure principatus obire Principem. habet enim quis-*

que magistratus sua quædam propria, quæ iure magistratus cōpetere dicuntur. pariter & Princeps habet sua ipsius, quæ iure Principatus gerit atque constituit. PHI. *Hæc sua ipsius iura cuiusmodi sunt?* IVR. *Sine prouocatione ius dicere, In caput ciuis animaduertere vel indulgere, Leges in primis sine scitu populi condere vel abrogare, De bello & pace decernere; & alia multa; sine quibus Princeps non est.* PHI. *Quæ sunt illa, sine quibus Princeps esse non potest?* IVR. *Longum est singula persequi: in summa quicquid libuerit, ius & fas sit.* PHI. *Ad Tyrannum redis. Dic age, Princeps est à natura semper eodémque modo Princeps, & vbique similiter?* IVR. *Apertius edissere.* PHI. *Principatus ipse est à natura, siue hominum constitutione: & ideo vbique sibiipsi similis tam apud Romanos, quā Parthos, Scythas, Medos, & alias nationes omnes.* IVR. *Talis est, qualis suo cuiq; placet populo.* PHI. *Parthorum Princeps, Medorum, & Scytharum, si talis, qualis Parthis, Medis, & Scythis placet, nonne Romanus qualis Populus Romanus sciuit?* IVR. *Quis dubitat.* PHI. *Similiter & Iura Romani Principatus nō possunt alia esse quàm quæ Romanis placēt, veluti alia nequeunt principatus Parthici esse, ac Medici, quàm quæ Parthis, & Medis placent.*

IVR. *Prorſus.* PHI. *Iure ergo principatus illa competere dicendum, quæ populo placuerunt.* IVR. *Conuenit.* PHI. *Ex his, ſi diligenter cõſideras, palam fit, ius Principatus nihil aliud eſſe, quàm ius quoddam populi: & per hoc, iure populi & auctoritate quiſque Principatũ agere, ac leges conſtituere; nec plus poſſe & valere, quã eius poteſt populus. finge illius populi Principem, qui nullius imperij ſit, proculdubio nihilo plus Regulus erit.* IVR. *Nõ ſuccurrit quid obſtet.* PHI. *Quiſque ſuis paret legibus, & auctoritati populi, & imperio, quo leges cõſtituit: & per hoc ſuis ſe legibus ſubiicere non eſt impoßibile, vt dicebat.* THE. *Chryſoſtomus ad Hebræos: Non homo eſt, inquit, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. vnde plane deducitur, Quæ decernit Papa, poteſtate Chriſti ſtatui; eiúſque decreta, Chriſti intelligi.* HIS. *Siquid iniuſte Papa cõſtituit, iſta ratione Chriſtus conſtitueret.* THE. *Nullius mali auctor eſt Deus, neque eſſe poteſt, ligátque Papa, claue non errante.* PHI. *Si accurate quæ ſupradicta ſunt perpendimus, liquet maius ipſo Principe, quod eſſe diximus in Ciuitate, non eſſe magiſtratum aliquem, ſed populum ipſum vniuerſum ſimul, eiúſque imperium, licet ſinguli inferiores ſint*

ciues, & vi huius potestatis, quæ maior est ipso Principe, leges principales constitui: & quia leges Principis populi imperio cōstant, planum fit maioris auctoritatis esse ipso principatu, sicut reliquis magistratibus leges cōstituentibus. Nimirum igitur si suis subiicitur legibus, non quasi suis, sed vniuersi populi, cuius auctoritate sunt cōstitutæ, ac vigent. hinc est, quòd mortuo Principe, leges non intereunt, quia non interit populus, cuius auctoritate viuunt. Legimus, exactis Regibus, eorundem leges veneratas: neque mirū videri debet, quum non eadem auctoritas atque potestas sit Principis, siue principatus, vt sæpe diximus, cum illa, qua Princeps est; veluti non eadem persona est Ciuitatis, & Principis, pariter non eadem persona est populi constituentis, & constituti Principis: &, veluti nō idem sunt causa efficiens & effectum, æque non est eadem actio efficientis & effecti. & propterea haud ineleganter ait Cicero in Officiis, Magistratus gerere personam & dignitatem Ciuitatis. Nam in eo, quòd personam ciuitatis agit, nomine & iure Ciuitatis agit. Ita quod non ipse, sed persona scilicet Ciuitatis, quam gerit, dicitur constituere. exue personam Ciuitatis, & nihil efficiet. & ideo si ei personæ, quam geris, se subiicit, non sibi, sed personæ se subiicit Ciuitatis, aut ipsi Ci-

uitati. IVR. *Si ista persona est principatus, cui se subiicit, nonne ipsemet se subiicit principatui? exuta enim persona illa, Princeps non erit. Ideo est Princeps, quia personam induit Ciuitatis.* PHI. *Princeps, & principatus non idem sunt: vt corporeum, & incorporeũ; quãuis Princeps sine principatu, ac populo nõ sit, neque Princeps ipsa Ciuitas, neque persona ciuitatis. gerere enim ciuitatis personam, ait Cicero: qui gerit, & idipsum quod geritur eadem esse non poßũt. & sicut diuersa sunt Princeps, & Ciuitas, exque persona Ciuitatis, quæ ab eo geritur, vt quid personã Ciuitatis agere dicitur, nisi quod quicquid sub ea persona fit, ipsa Ciuitas agere dicatur. Si ergo ex persona Ciuitatis agit, non ipse magis agere, quàm ciuitas videri potest.* IVR. *Principis igitur constitutiones, non Principis, sed populi essent, quomodo dicũtur Principis, si populi sunt?* PHI. *Quia se ministro, vt Iulia de adulteriis, Cornelia de falsis, & similes. Dic age, qui negotium mãdat, & qui suscipit, sunt idem?* IVR. *Minime* PHI. *Qui mandatum exequitur, cuius personã gerit?* IVR. *Mandãtis.* PHI. *Persona, quam gerit, cuiusmodi est? Se maior, an contra?* IVR. *Ipso quidem mandatario maior.* PHI. *Mandatum suscipiendo; mandanti se subiicere quodammodo videtur.* IVR. *Mibi*

perſuadeo. PHI. *Negocium, quod ſic geritur, an geri dicitur à mandante, an mandatario, an ab vtroque?* IVR. *Ab vtroque.* PHI. *Æque ab vtroque?* IVR. *Nequaquam: Mandans quidem, vt maior: Mandatarius, vt miniſter.* PHI. *Qui mandatum ergo accipit miniſter quidam eſt eius qui mandat: & in quo miniſter eſt, perſonam gerit mandantis: & qui mãdat, eius miniſterio vtitur.* IVR. *Hæc quæſtio à noſtris Doctoribus diligẽter tractata eſt, Vtrũ mandans verè agere dicatur.* PHI. *Quæ tandẽ deciſio?* IVR. *Vt verè. & propterea, mandans homicidium homicida eſt.* PHI. *Iſta ratione, qui à populo principatum ſuſcipit nonne ciuitatis mandato ſuſcipit?* IVR. *Profectò.* PHI. *Conſequens fit, ſicut Mandatarius inferior eſt & miniſter eius qui mandat, æque Principem miniſtrum quendam ciuitatis eſſe; ac per hoc quicquid Princeps agit ipſa verè Ciuitas agere videtur. ſi leges condit, leges Ciuitatis ſunt: & legibus ciuitatis ſubeſſe non inconuenit, neque impoſſibile eſt.* IVR. *Aduerte, Mandatarij exẽplum non vt reris, vrget; quoniã Princeps cum imperio eſt.* PHI. *Cum imperio eſt, quoniam Ciuitas hoc ipſum mandat: non enim quæ imperij ſunt, agere poſſet, niſi ciuitas demandaſſet.* IVR. *Poſſent hæc recipi, niſi Pop.Ro. omne ius*

ſuum, imperiũ, ac poteſtatem in Principem trã-ſtuliſſet. PHI. *Sic recurris ad hiſtoriam, de qua poſtea dicere cõuenimus. At nunc contenditur, Vtrum poßibile ſit, Principẽ ſuis legibus ligari, quod licet multis argumẽtis planum fecerimus, cõfeßione tua omnibus ſit perſpicuũ.* IVR. *Quo pacto?* PHI. *Eo ipſo, quod Lege regia ſolutũ dicitis, mox intelligitur haud impoßibile ligari, alioquin ſuperuacua fuiſſet lex, vt ſolutus eſſet, qui non niſi liber eſſe poſſet aſſertrice natura.* IVR. *Minime neceſſaria lex fuiſſet, niſi tollẽdæ dubitationis cauſa.* PHI. *Quæ natura impoßibilia ſunt in dubitationẽ trahere ſtultorũ eſt.* IVR. *Videtur.* PHI.. *Redeamus ad illud de Imperio collato. dic Iuriſcõſultißime, potuitne Pop. Ro. plus iuris in Principẽ contuliſſe, quàm ipſe haberet?* IVR. *Minime.* PHI. *Fuit ne vnquam Ro. Pop. vt ſuis non ligaretur legibus?* IVR. *Legem ſibi dicere non poteſt, à qua non queat diſcedere.* PHI. *Non hoc interrogo, vtrum ſuas queat abrogare leges; ſed, antequam abrogarit, nunquid ligetur; ſicut in cæteris paßim experimur populis.* IVR. *Ligatur quatenus velit, verum pro non vinculo eſt quod haud inuitum obſtringit.* PHI. *Ridiculæ itaque ſunt tuo iudicio in ciuitatibus leges.* IVR. *Ridiculæ vtique reticulæ ſunt ſæpenumero,*

licet eius naturæ ſint, vt obſtringant. PHI. *Dic age obſtringunt ne volentem, & interim quàm diu vult ligant?* IVR. *Profectò.* PHI. *Ergo natura non impoßibile. Namque, naturalia vt infringi nequeunt, pariter quæ natura impoßibilia ſunt, nulla queunt humana ope fieri poßibilia.* IVR. *Me fugit, ædepol, quid dicam amplius: quinimmo Diuorum Alexandri, & Conſtantini reſcripta, quibus vltro ſeſe legibus ſubmiſerunt, & alligari velle ingenue proteſtãtur. quod ſi factu fuiſſet impoßibile, nugatorie reſcripſiſſent. adde, quod idem Alexander Antichonio reſcripſit, Ex imperfecto teſtamento Imperatorem capere non poſſe, ſæpe conſtitutũ eſſe.* PHI. *Capere non poſſe conſtitutum ait?* IVR. *Hæc ipſamet verba Imperatoris ſunt.* PHI. *Liquidißimum ergo eſt, Imperatoris etiam confeßione, legibus inferiorẽ eſſe Principem.* IVR. *Videtur.* HIST. *Audi quid iunior Plinius de Traiano dixerit: In noſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubiecisti Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. ſed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis.* PHI. *Audite, quem in modum nos deuinciant leges, Ciceronis verba pro Aulo Cluentio: Lex vinculum eſt, inquit, huius Ciuitatis, qua fruimur in Rep. Hoc fundamẽtũ libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus, & con-*

& consilium, & sententia Ciuitatis posita est in legibus. vt corpora nostra sine mēte, sic Ciuitas, sine legibus, partibus & neruis ac sanguine & membris vti non potest. legum ministri Magistratus, legum interpretes Iudices, legum denique iccirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. non enim Vinculum dixisset Cicero, nisi obligarent: neque legum Seruos appellasset, nisi in obedientia cōtinendi vim haberent. quæ quidem seruitus vera est libertas. Aristoteles in Rep. Seruitus non est, viuere ad formam Reip. sed salus. IVR. *Plus in recessu quàm in fronte, hæc habent difficultatis: vereórque, ne pugnātia contineant. quando Populus, siue Princeps suis ligatur legibus, duas necesse est personas sustineat, vnam Principis, alteram Subditi. Porro, ferendo leges, Principem agit: pariter & subditum induit, suis hisdem parendo legibus: præesse & subesse, imperare & obedire sibi simul ipsi natura non patitur. alia proculdubio opus est persona sit gubernantis, alia gubernati: neque ambigitur apud nos Populū vnius vice defungi, vnúmque corpus esse indiuiduum, vt noster declara⁺ Baldus.* THE. *Immo nihil est, quod magis homines deceat, quàm sibiipsis imperare & obedire. Brutorum sane numero habentur, qui appetitus non moderantur ac cohibent: ne-*

que victoria gloriosa magis, quàm seipsum vincere. PHI. *Ad philosophiam meam perlepide me reuocatis, tranquillissimũ diuerticulum. mos vobis gerendus est. Aliud est quod anima imperitet corpori, & appetitus obediat rationi: aliud est quod homo sibiipsi imperet atque obediat. primum à natura; hoc alterum impossibile. Aristoteles primo de Rep. Animal constat anima & corpore, quorum alterum imperat secundum naturam, alterum paret. quod multo elegantius expressit Salustius, dicens: Animæ imperio, Corporis seruitio magis vtimur: quorum alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune est. inter quæ colluctatio quidem non modica.* THE. *Apostolus ait: Sentio legem aliam in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* PHI. *Si vna ergo pars hominis imperat, altera obtemperat, quæ inter se distinguuntur, non homo animæ imperio subigitur, sed vtitur. Illa enim argumentatio de parte ad partem est, non de toto ad seipsum. & quamuis anima, & corpore constet homo, non tamen est anima, neque corpus; sed quiddam ex vtroque cõmixtum: neque anima per se, neque corpus aliquid deducit ad actum. sed solum hoc compactum, idest homo. vnde quicquid ratio aut stultitia dictat, & corporis ministerio impletur, non alius est qui*

agit & facit, quàm ipse totus homo. sapientissime iccirco Salustius dixit: Animæ imperio, & corporis seruitio vtimur. Compositi enim actiones esse dicimus, non partium. IVR. *Hinc perpulchre noster tractat Bartolus, quod quæ facit populus, non faciunt singuli: & quæ singuli faciunt, non facit populus.* PHI. *Patet igitur impoßibile esse, hominē sibimet præesse & subesse, veluti vnumquodque aliud ens impatiēs est simul plurium repugnantium. de qua re Platonis iiij de Rep. velim audiatis verba: Ridiculum est, inquit, quod quid seipso potentius nuncupatur. quisquis enim se ipso potentior, se ipso imbecillior erit: rursúsque, qui imbecillior, potentior. atqui id vult hic sermo, quod in hominis anima duo quædā sunt, vnum quidem melius, alterum vero deterius: & quando quid natura melius deteriori dominatur, tunc aliquis se potentior dicitur, & hoc sermone laudatur. Haud incommode digreßi sumus.* IVR. *Atqui periucunde, ac sapienter.* PHI. *Vt ad me redeam: ligatur autem populus suis legibus, quasi pactis conuentis, quæ veræ sunt leges. Effare quæso Iuris antistes: quid est consuetudo?* IVR. *Tacita quædam ciuium conuentio.* PHI. *Quid lex?* IVR. *Expressa ciuium conuentio.* PHI. *Quid ipsa conuentio?* IVR. *Placitus plurium*

in idem consensus. PHI. *Lex ergo inter ipsos ciues pactio quædam est, si placitus ciuium consensus est.* IVR. *Atqui pactio strictißime stipulata, postquam, interrogante magistratu, & vniuerso sciscente populo, conficitur: quinimmo nulla sollennior stipulatio, quam quæ vniuerso stipulante populo celebratur: sicuti testamentum coram Principe nuncupatum sollennißimum confitemur.* PHI. *Patet itaque, veluti nouum non est homines pactionibus sese deuincire inuicem, æque & populum. Nec ad rem, quòd populus vna interdũ censeatur persona: quoniam, vt ficte vna, ita vere populus non aliud est, quàm quædam hominum multitudo.* IVR. *Similiter & Bartolus apud nos definiuit, Vniuersitatem hominum scholariúmue non aliud esse, quàm homines vniuersos ac scholares ipsos.* PHI. *Licet in vnum corpus coeant, tamẽ plures sunt numero: alij saniores, alij stultiores. distrahitúrque populus in has partes; vt de homine pauloante disseruimus. Typum sane tenent corporis stulti; animæ vero, sapientes: sicut contra naturam est, insanior pars hominis præualeat saniori; pariter in ciuitate stultiores, si non obtemperent sanioribus: tunc, vt in homine perturbationes, æque in ciuitatibus tumultus & seditiones erumpunt, ac debacchantur: nec sibi-*

ipsis obediunt, vt dicebas, populi, sed legibus. legum seruos vocat Cicero. Seruitus, quæ hominibus impenditur, vera est seruitus: quā nostris legibus, libertas, quòd ab hominum seruitio vendicat: siquidem quidam non male sentiunt, legem rectè positam Dei donum esse. IVR. *Vt Martianus in libris Digestorum, auctore Demosthene: Qui bonis legibus optemperant, Deo optemperant.* PHI. *Plato: Qui legibus seruit, Diis ipsis seruit.* THE. *Aquinas noster, Iustas leges vim habere à lege æterna asserit, ac probat illo prouerbio: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. hincq́; concludit, iustis legibus ligari Reges.* PHI. *Quo fit, non bene definisse illos, dicentes, Qui legibus suis obediunt, sibi ipsis obedire: nam imperio rationis obeditur, quæ à Deo est; &, secundum Pythagoricos, Dei est imago.* THE. *Moyses: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* PHI. *Præterea, vt à diffinitione quæstio dirimatur, edissere quid est Ciuitas.* IVR. *Quæ Episcopum habet.* PHI. *Magis est, quod Episcopus non sit sine ciuitate. celeberrimæ quidem apud Maumetanos numerantur Vrbes.* IVR. *Quidam adiiciunt, Quæ muris cingitur.* PHI. *Desertus isto modo locus, muris cinctus, foret ciuitas. cæterum vbiq; oppidula videmus mul-*

ta, ac villulas validissimis cinctas muris, & Episcopis obedientes. IVR. *Alij, authore Isidoro, dicunt, hominum multitudinem, societatis vinculo adunatam, simul viuendi causa.* PHI. *Prædonum multitudo, ista ratione sociata, ciuilem populum constitueret. melius ergo Cicero in Rep. definiuit, Cœtum hominum, iuris consensu & vtilitatis communione sociatum. Iuris consensu ait, ad excludendos prædones & reliquos, qui ad aliorum iniuriam sociãtur.* THE. *Huius diffinitionis meminit Aur. Augustinus ij, & xix Ciuitatis Dei.* PHI. *Absolutius Arist. in Politicis definit, Ciuitatem nihil aliud esse, quàm ciuilẽ quandã societatẽ, simul, ac bene uiuendi gratia constitutam.* THE. *Neque diuersum sensit Cicero illis verbis, Iuris consensu, vt idem interpretatur Augustinus: iniustus quippe consensus foret, si male viuendi gratia iniretur.* PHI. *Si nihil aliud est Ciuitas, quàm ciuilis quædam societas, contrahiturne societas vlla sine pactionibus?* IVR. *Non vtique, nisi tacitis aut expressis.* PHI. *Pactiones huiusmodi nonne rectæ societatis leges dicũtur?* IVR. *Non dubium: verùm, quid ad populũ, qui nequit sibimet obligari?* PHI. *Neq; Societas sibimet obligatur, sed ipsi inter se socij. dic quæso, est ne societas antequã ineatur?* IVR. *Nulla prorsus.* PHI.

Iniri ne poteſt antequam ſocij de conditionibus conueniant? IVR. *Minime.* PHI. *Nonne cõueniunt, ſeſe inuicem placitis obſtringendo?* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Ad eſſe ergo ſocietatis pactiones requirũtur, quæ leges dicũtur.* IVR. *Neceſſario.* PHI. *Ergo ad eſſe Ciuitatis leges ſunt neceſſariæ.* IVR. *Tam perneceſſariæ, quod Ciuitas ſine legib⁹ ſtare nullo pacto poteſt.* PHI. *Si neceſſariæ ſunt, ligãdi iccirco vim habeãt oportet; alioquin ſicut Societas, ſic Ciuitas diſſoluetur, ſi legibus non obtẽperatur.* IVR. *Illico diſſoluatur oportet.* PHI. *Et propterea, quamuis ſocietas ipſa, ac populus ſibimet obligari non poßit, non ſequitur, in contrahenda ac gubernanda ſocietate, nequeant ſocij & ciues ſeſe inuicem deuincire; & Præfectis, Rectoribus, & Magiſtratibus leges præſcribi: ex quibus fit, ſicut pactum in ſocietate negotiali, ita lex in ciuili ordinatio eſt, ac conſeruatio ciuitatis. Ariſt. vij de Rep. Lex eſt igitur ordinatio quædam: & igitur bona lex, bona ordinatio. & alibi: Ius ordinatio ciuilis ſocietatis eſt: Iudicatio, iuſti iudicium. Plato in legibus: Lex eſt rationalis quædam regula, certo ordine ad bonum ciues perducens.* THE. *Similiter Aquinas noſter: Lex eſt, inquit, ordinatio quædam ſecundum rationem de conferentibus ad finem politiæ.* PHI. *Manifeſtum*

itaque est, populum suis legibus ligari. IVR. *Apprime.* PHI. *Et per hoc populi non esse Romani, vt suis legibus ligari nequeat: quo fit, id iuris in Principem transferre nequisse, vt suis ligari legibus non valeret.* IVR. *Alia sane Principis videtur ratio, quod vna vere supereminẽs omnibus persona sit, aliisque leges imponens.* PHI. *Hoc ipsum scrutemur.* IVR. *Operæpretium est.* PHI. *Pater fam. nonne eiusdem domus Princeps est, cuius est pater?* IVR. *Quidni?* PHI. *Et vnus eorum qui in domo sunt, & ipsiusmet pars.* IVR. *Etiam.* PHI. *Similiter & nauis gubernator vnus eorum est qui in naui sunt, eiusdem quãuis nauis sit Princeps.* IVR. *Dubioprocul.* PHI. *Sic Princeps est vnus eorum qui in Ciuitate sunt ciues, & pars Ciuitatis.* IVR. *Sed alio quidem pacto.* PHI. *Attende: caput quãuis omnium membrorum Princeps sit, quin membrum ac pars corporis existat negari non potest.* IVR. *Vera narras.* PHI. *Aeque Princeps, quãuis potior in ciuitate sit, non propterea desinit ciuis esse, atq; ciuitatis pars. Si igitur Princeps ciuis est, ac ciuitatis pars, consentaneũ est hisdẽ ligetur legibus, quibus cæteri ciues, & reliquæ ciuitatis partes; id est suum totũ: hoc enim toto ciuitatis corpore cõtinetur etiã Princeps, vt pars totius.* IVR. *Vera narras. Nã Caius*

I. C. legitur respondisse, Familiæ appellatione etiã Principẽ contineri: & Monachorũ numero Abbatem contineri non est qui ambigat. PHI. *Et propter hoc non potest diuersi iuris censeri. nulla namque pars potior esse potest suo toto. sit licet vna pars altera melior, quæque suo fungitur munere ac prærogatiuis; vt in corpore ipso videmus omnia membra non eundem actum habere, sed opere & potentia distingui; & ideo nobilitate & principatu, vt Caput. Principatus enim diuersam speciem non facit, quamuis non eadem sit dignitatis qualitas. assumitur autem Princeps ad gubernationem ciuilis societatis: & ideo sunt leges, quibus vtitur Princeps ad Deorum, & populi maiestatem conseruandam, atque imperium exercendum. sunt etiam leges, quibus vtitur vt Priuatus.* IVR. *Hæc diualibus Constitutionibus eadem explicata habemus.* PHI. *Præterea, vt inductionibus Platonicis & Aristotelicis confirmemus, veluti omnium membrorum, & præcipue capitis vnum est opus, scilicet incolumitas & cõseruatio: omnium item nauigantium, & gubernatoris in primis, vnum salutis opus; æque omniũ qui in ciuitate sunt, & quammaxime Principis, vnum opus; scilicet Iustum, quod in communi vtilitate versatur. at quorum vnus & idem*

est finis, eædem sint actiones oportet. congruentia autem media ad bonum politicum solæ sunt leges. iisdem ergo vtetur legibus Princeps, ac ciues cæteri, quæ ducunt ad finem: Princeps, vt nauis gubernator: ciues, vt nautæ. diuersitate autem officiorum, legum distinguitur vsus. Postremo socius sociali negotiationi præpositus, nunquid ob id, quòd præpositus est, desinit esse socius? IVR. *Minime.* PHI. *Et socialibus legibus solutus?* IVR. *Absit.* PHI. *Cur non idem in ciuili societate dicendum? Aut enim certa præficitur lege, & illa tenetur, quam in Principe regiam vocamus: aut nulla dicta lege, & illa proculdubio tenetur, vt nihil omittat eorũ, quæ ad communem pertinent vtilitatem: etiam si libera administratio concessa esset, illa saltem ligatur, vt, arbitrio boni viri, quæ communiter vtilia sunt non negligat.* IVR. *Non semper socij communi negotiationi præficiuntur.* HIS. *Post Romulum, è Sabinis Numa in regnum accitus proditur.* PHI. *Principes institoribus isto modo æquatis.* IVR. *Reges non sunt institores, sed domini.* PHI. *Ergo socium societati ciuili præfectum in dominũ assumi creditis. inequalitas conditionum societates disrumpit: mox enim quod aduena in Principem susceptus est, in ciuilem societatem receptus intelligitur cum*

poteſtate imperij exercendi ad communem vtilitatem. à regẽdo Reges, non à regnando dicti ſunt. THE. Sic definit Aur. Auguſtinus, De ciuitate Dei. PHI. Hactenus ſatis multa percurrimus, vt oſtenderemus, non impoßibile Principes ſuis ligari legibus: de qua re medius fidius pertinacia magis quàm ratione pugnatis, aut quorundam Imperatorum vobis blandientium verbis, dum ſe legibus ſolutos iactitant, ſuáque dũtaxat benignitate obſtringi, quaſi Imperialis beneficentiæ, non officij ſit, tyrannides non exercere. nam quotidie palpitatis, Principes ſuis parere legibus. HIST. Vnum velim ſemper excipiatis, qui nihil vnquam ratum habuit, niſi ſibi commodum præſentiret. PHI. Et tu, & ipſe, ac vulgus cenſetis commodum, quod ſemper vere fuit & ſibi, & aliis incommodißimũ. quid enim commodi afferre poteſt, quod Principatus honore priuat, atque penitus humanitate? Hi ſunt homines, quos Poetarum ſales lupos factos modulantur: reiecta hominis dignatione brutalem vitam viuunt. IVR. Experimur quidẽ Principes legibus parere benignitate naturæ, non legis neceßitate. PHI. Tametſi temperatis viris lex Deus ſit, vt ad amicos Dionis ſcribit Plato; nihilominus Principes legibus & obedire & ligari quotidie legimus & videmus. quod breui-

ter explicabo, modo ad interrogata respondeas, & ingenue veritatem agnoueris. IVR. *Respondebo, vt petis, auidissimeque auscultabo.* PHI. *Satis constitit inter nos, secundum leges Reges viuere; Tyrannos, secus.* IVR. *Profecto. diuus enim Alexāder ad Antigonum rescripsit, Nihil tam proprium imperij esse, quam legibus viuere.* THE. *Confirmatus est Aquinatis auctoritate, nisi vobis excidit memoria, dicentis, oportere in ciuitate Principē habere regulam, per quam dirigatur in operationibus, & dirigat alios, & per quam iudicet. hoc autem fit per legem.* PHI. *Secundum quas ergo viuit leges?* IVR. *Ciuitatis, & diuinas & humanas.* PHI. *De diuinis, & humanis nulla contentio. Dic igitur, secundum leges suas ipsius Principis, an populi?* IVR. *Nihil refert suæ, vel populi; modo sint iustæ.* PHI. *Si secundum suas viuit leges, nonne suis obedit legibus? si populi, popularibus similiter obedit legibus.* IVR. *Viuit secundum eas, non vt obediens, sed custos & cogens alios obedire; ipse vero supra leges est, nutu suo omnia gubernans.* PHI. *Dic amice, iustus & iniustus nonne sic definitur aliquis, quòd, qui secundum leges viuit, sit iustus; qui contra, sit iniustus?* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Princeps, contra leges faciens, sic erit iniustus.* IVR. *Mi-*

nime, quoniam non sibi, sed aliis dicta est lex. PHI. *Iustus nonne dicitur ab eo, quòd iusta facit? ex diuerso, iniustus, faciens iniusta?* IVR. *Quis ambigit?* PHI. *Finge, Principem fortiter facienti vel quid aliud, lege præmium proposuisse, & ex contrario, certam pœnam facienti vel non facienti quippiam; poterit ne Princeps merenti iure negare præmium? & similiter contra legem facienti alias quàm scriptas iure prærogare pœnas?* IVR. *Non vtique.* PHI. *Vt quid istud?* IVR. *Quoniam secundum legem à se dictam iudicare debet.* PHI. *Et si aliter facit, an iniuste facit?* IVR. *Vtique non iuste facit.* PHI. *Nonne propterea Princeps est iniustus?* IVR. *Videtur.* PHI. *Et non ob aliud, nisi quòd suis non obediuit legibus.* IVR. *Sic arbitror.* PHI. *Lege igitur sua ligatur Princeps.* IVR. *Fateri conuenit. nam ex imperfecto testamento etiam Imperatorem capere inhibitum est; si capit, iniuste capit; si non capit, legi obsequitur: nec quisquam Princeps proditur huic legi, & aliis huiusce generis non obtemperasse.*

MARII SALAMONII DE PRINCIPATV.

LIBER II.

PHI.

VIDERE *videor his dictis vix animum assentiri tuum, quãuis nihil repugnare intelligas. quid si monstrarem, Principem aut nullis, aut perpaucis solutum legibus, hísque arctius stringi, quàm alius quiuis priuatus?* IVR. *Incredibilia polliceris.* PHI. *Plenius præstabo, quàm polliceor.* IVR. *Nihil auidius discerem. quid expectas?* PHI. *Responde igitur. qui finis est Principatus?* IVR. *Populum suis legibus continere, regnum propagare, tueri, stabilire, &, quantum in eo erit, ad nepotes, trinepotésque transmittere; & in summa nihil eorum, quæ ad eam rem pertinent, præterire.* PHI. *Qui Tyrannidis finis?* IVR. *Non dissimilis.* PHI. *Tyrãnis igitur & Principatus sunt idem?* IVR. *Non idem, sed similes.* PHI. *Quomodo similes? an quia vterque bonus, an quia vterque malus?* IVR. *Similitudo est à natura, vt in cæteris rebus, quæ sponte sua student conseruationi & perpetuitati suiipsius.*

PHI. *Quomodo ergo non idem?* IVR. *Quoniam non eodem gradiuntur calle, vt eleganter Sallustius ait: Bonus, & ignauus æque gloriam sibi exoptat. ille vera via nititur: is, cui bonæ artes desunt, dolis & fallaciis. Talis itaque similitudo est, & dißimilitudo inter Principem & Tyrannum.* PHI. *Si idem vtriusque est finis, proculdubio eædem sint actiones oportet, quæ ducunt ad finem: & ideo, aut vtriusque bonus, aut vtriusque malus est finis: & quia, vt in prouerbiis receptum traditur, Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum esse, consequens fit, Si bonus vtriusque finis, vtique Tyrannus bonum quiddam est: si vtriusque malus est, Principatus quid malum sit, est necesse. & tamen nemini inexploratũ liquet, sicuti Tyrannis res peßima est & inimica naturæ, sic Principatum inter bona adnumerari. Bonus, & ignauus æque gloriam sibi exoptat, non æque tamen assequitur. salis ædepol plena sunt verba, & alterius quidẽ vim philosophiæ spectãt. nam acriter apud philosophantes agitatur quæstio, Vtrum voluntaria sint peccata, quum nemo propter ipsa peccet, nisi impudens. dicebat Plato, Neminẽ vt sponte ægrotum, ita neque vitiosum. nam, vt humorum intemperies corporis morbus est; æque animi ægritudinem nihil aliud esse, quàm intem-*

periem quandam mentis. perturbatis ſenſibus, nõ guſtus, neque iudicium conſtat vllũ. HIST. *Amicus ergo ille noſter, cuius mens ſemper inquieta, turbida, procelloſa, non volens ebrioſus eſt, cinedoſus, incommodoſus. auſcultate facetam facetiam. Nonnulli in Capitolio conueneramus, inter quos Baptiſta Paulinus, in Iuris ſciẽtia & aduocatione clariſſimus, & ſuo Apuleio naſutior: Camillus, Patronorum optimus, & percandidus Poëta: Hippolitus Saxius, volucri & arguti ingenij, Mathematicę & Geographiæ peritiſſimus. qum̃que coiſſemus in coronam, & in ſermonem de vita illius incidiſſemus, aduenit aulicus Imolen. quidam, vir impudentiſſimus, temerarius, importunus, loquax: Cúmque è noſtris vnus libere, vt in libera ciuitate ſolet, & parce tamen ac verecunde quædam minus decora protuliſſet; tum aulicus ille quædam adiecit laſciuiora: verum hominem defendebat bonæ mentis eſſe, crapulas & venerea inter turpia non ducere. Tum Saxius: quid ſi turpia exiſtimaret? reſpõdit ille: abſtineret vtique. Camillus cachinno irriſit. ad hæc Paulinus: ſi iſthæc impeccantia eſt, diſpereant qui nos tam ſciolos fecerunt.* THE. *O blatteronis ſtultitiam: qui, ſic excuſando, acrius hominem incuſabat.* HIST. *quo pacto?* THE. *quia hæreſis eſt, non impru-*

imprudentia, turpia ducere non turpia. PHI. *At qui illas duas gustãdi, coeundiq; voluptates ideo infames supra ceteras Sapiẽtes nostri detestãtur, quòd cum asino, sue, & reliquis bestiis sunt communes; à quibus vt vultu & animo distamus, sic & consuetudine nõ differre fœdißimũ, & ab homine omnino alienum arbitrãtur. Verum de finibus Principatus, & Tyrannidis nostra nunc contentio est; quæ vt planius dirimatur, diffinitiones si placet scrutemur.* IVR. *Operæpretium videtur.* PHI. *Ab eo ducantur oportet, quod in his potißimum existit, & ab aliorum communione seiunctum est.* IVR. *Prorsus.* PHI. *Verum isthæc inquisitio litigiosa magis, quàm necessaria videtur.* IVR. *Quapropter?* PHI. *Quoniam explosa illorum opinio est, cõtendentium, Iustum esse quicquid potẽtiori suo Principi placet, vel vtile est, & alia his similia. at nunc, Sapientum traditionibus illustrata ac in perspicuo posita, vera non ignoratur diffinitio: quorum sola auctoritate contenti esse debemus.* IVR. *Atqui si singula persequi volumus, & à Sapientibus plane digesta in quæstionem reuocare, multáque quæ supersunt, haud minus vtilia, excutere, prius nos dies deficiet; &, re vel infecta, aut melioribus neglectis, discedemus.* THE. *Importunum, atque nimis arrogans fo-*

ret, sapientum auctoritatibus non acquiescere, quorum lucubrationibus tantum debemus, quãtum ægri sanitatem, cæci lucem restituentibus. omnium bonarũ artium ignari in tenebris ambularemus, victúque ferino viueremus, nisi tales viri nos præcessissent. quid igitur definitum sit ab his breuiter explica. PHI. *Si patienter auscultabitis, aures & sensus omnes implebo vestros.* IVR. *Vtinam.* PHI. *Principatus, omnium consensu, iusta est ad populi vtilitatem gubernatio; praua autem gubernatio, Tyrannis. Adeo inter se pugnantia sunt hæc duo, vt vnius cognitione alterũ non ignoretur. & verum sit hoc proloquium de qualibet gubernatione, quod aut Principatus sit, aut Tyrãnis. Tyrãnus itaq; non alius diffinitur, quam iniustus Princeps: & Princeps, qui iuste regnat. Iuste autem, quòd iure Principatum ineat & administret: contra, iniuste, altero de duobus modis, aut quòd non legitime Principatum inierit.* THE. *Iuxta illud Saluatoris nostri, Qui non intrat per ostiũ fur est & latro.* PHI. *Aut, quòd in administrãda iustitia deficiat. vnde fit, isto iure qui nactus sit Principatum, nisi iuste moderetur, de solio Regiæ celsitudinis famosam extẽplo decidat in Tyrannidem.* THE. *Vere ergo August. iiij. Ciuitatis Dei inquit: Remota Iustitia quid*

sunt regna, nisi magna latrocinia? PHI. *Iustitiam autem Principatus non aliunde metimur, quàm à vera religione & communi vtilitate: & hic finis optimus, propter quem Principatus est institutus, vt dilucide Socrates apud Platonem primo & secũdo de Rep. subtiliterq́; disputat. Quàm vero necessarium sit studium obseruandæ religionis, sine qua Deus non propitiatur, inde liquet, quòd sine propitiati Dei auxilio Resp. male administratur. primo, & quarto De legibus: Sicut pecora, inquit, non à pecoribus, sed alio meliore se genere, vt pastore homine, reguntur: sic homines ab homine, sine duce Deo, male gubernantur. vbi non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, nulla vnquam malorum laborúmque futura est quies.* THE. *Non Platonica, sed Dauidica hæc mihi vidẽtur. quid enim ab illo discrepant? Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* PHI. *Quod autem iustum à communi pẽdeat vtilitate, Arist. iij. Politicorum: In cunctis scientiis & artibus finis est bonum; ciuile autem bonum, id est communis vtilitas. Et quale erga Remp. Principis officium esse debeat, Plato primo De rep. describit verbis his: Neque alius vllus in aliquo Prin-*

cipatu & facultate imperans, quatenus Princeps est, quod sibi conferat cogitat aut præcipit, sed quod subiectis conducat; & quæ dicit quæq́; facit, cũcta ad illius vtilitatẽ & decorẽ dicit ac facit. quod elegantius in Officiis transtulit Cicero: Vt enim tutela, inquit, sic procuratio Reip. ad vtilitatẽ eorũ, qui cõmissi sunt, non ad eorũ, quibus commissa est, gerenda est. IVR. *Adiicite hæc Imperatoris Iustiniani verba: Imperialis, inquit, beneuolentiæ hoc esse iudicantes, vt omni tempore subiectorum commoda tam inuestigare, quam eis mederi procuremus. quæ omnia per quàm breuissime ac dogmatice complexus est noster Baldus, dicens: Principatus, sicut Iustitia, ad alium est.* PHI. *Quoniam Principatuum, ac Tyrannidum plures sunt species; in quibus falli verecundum ac detestabile est. igitur Aristotelem, si placet, more suo dilucide ac subtiliter distinguentem audiamus: Quando vnus, inquit, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas Rerumpub. species necesse est. quãdo autẽ ad propriam vtilitatẽ, vel vnius, vel paucorũ, vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt & labes. Vocare autem consueuimus, cum vnus, ad vtilitatẽ communẽ respiciens, gubernat, Regiã potestatẽ. cum vero pauci optimatũ;*

vel quia optimi sunt, vel quia ad optimũ statũ Ciuitatis gubernant. cum autem multitudo gubernat ad communem vtilitatem, Resp. communi nomine vocatur. Labũtur autem & trãsgrediuntur huiusmodi species, ex Regia in Tyrãnidem, ex Optimatibus in Paucorum potentiam, ex Rep. in Popularem statum. Tyrannidem dicimus dominatum vnius, tantum ad proprium commodum intendentis: Paucorum potentiam, ad opulentorum commodum gubernantem: Popularem statum, ad commodum egenorum. harum enim nulla ad communem vtilitatẽ respicit. HIST. *Aristotelicis verbis palã fit qualis sit ventosus illorũ contra vniuersam Remp. status, in quo solis quibusdam familiis reliquus sine honore seruit populus. quæ quidẽ Tyrannis eo perniciosior est, quo intolerabilius est à Tyrãnis pluribus, quàm vno, premi.* PHI. *Manifestum itaque est, Principis proprium esse vndequaque communi vtilitati intendere; & idipsum, vt summum bonum, appetere; hoc est, non solum sollicitari ad finem dirigentibus, sed à fine abducentibus, idest publicæ vtilitati summopere procurare & facere; & ab his, quæ populo nocitura sunt, præcauere; nihilque ipsi communitati noxium statuere.* IVR. *Quid si statuat, iubeatue?* PHI. *Impune non obtempe-*

rabitur. THE. *Hæc est Aurelij Augustini sententia lib. Confess. dicentis: Regi, si non est contra societatem Ciuitatis, obtemperatur.* PHI. *Ex quibus plane conficitur, illis omnibus Principem ligari legibus, quibus communis vtilitas cõtinetur. quæ lex quàm latißime pateat, quámque arctius obstringat, casuum varietates consideranti cuique facile succurret. Hinc etiam efficitur, Principem omnibus suis legibus teneri: & hoc amplius in arbitrio eius non esse, leges recte positas sine iustiori causa abrogare.* IVR. *Deliras, aut iocaris.* PHI. *Serio, & plusquam serio loquor.* IVR. *Inaudita dicis.* PHI. *Atqui verißima, ac probatißima.* IVR. *Aperi nobis obsecro isthæc miracula.* PHI. *Dic amice, quas leges ferre debet Princeps?* IVR. *Varij varia senserunt. quidam, quas volet: alij, sibi vtiles, id est, ad regni stabilitatem conducibiles: alij, communem vtilitatem respicientes; hócque iure vtimur, recepta Isidori definitione, cuius verba sunt hæc: Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conueniens, necessaria, & vtilis, manifesta quoque, nec aliquid per obscuritatem incautum captione continens, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium utilitate conscripta.* PHI.. *Primæ*

duæ opiniones tyrannicæ sunt. nam verus Princeps Principatum ponit quotiens communitati viderit expedire. THE. *Nedum Principatum, verum etiam animā ponere, id est vitam, Saluator docet.* PHI. *Tertia vero, omnibus enarratis partibus, plena descriptio est, quamuis vnico Iusti verbo hæc omnia contineātur. non enim iusta lex esset, si non honesta, si ipsi naturæ moribúsque ciuitatis incongrua, inutilis, captiosa, priuati cōmodi siue Principis siue alterius, non autem vniuersorum Ciuium gratia. præclare iccirco Plato: Neque censemus, ait, rectas esse eas leges, quæ non sunt communiter totius ciuitatis gratia positæ.* THE. *Eodē modo defendit Aquinas noster, dicens: Iniusta lex est, quando Princeps in suam, & non in communem fert vtilitatem. item quando non distribuit æque onera, vel honores ad bonum commune.* PHI. *Audacter itaque, Vir sapientissime, cōcludamus oportet, si quidem iustæ sunt leges, quæ communitati prospiciūt, & alias quàm iustas Princeps scribere non potest, alias ergo, quàm communitati vtiles, ferre non posse: &, sicut communis vtilitas ferendarum legum causa est, tollendarum similiter diuersa non sit causa est necesse. desereret enim communem vtilitatem Princeps; quod contrariū esse in Officiis exclamat Cicero, abro-*

gando Reip. leges vtiles vel necessarias. quo fit, tales leges tollere, nisi aliud iustius exposcat, non possit Princeps. IVR. *Hoc idem in nostris legibus ex sententia Vlpiani cautum nunc intelligo, De cōstitutionibus Principum dicens: In rebus nouis constituendis euidens vtilitas esse debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum fuit.* THE. *Aquinas, Hoc solum, inquit, esse debet in mutandis legibus, vt maxime euidentissima vtilitas ex nouo statuto proueniat.* PHI. *Sic illis, iisdémque suis arctissime illigari legibus suadet ratio humanitatis.* THE. *Iustis proculdubio legibus ligari Reges Aquinas defendit ex illo, Per me legum conditores iusta decernunt.* PHI. *Patere legem, ille ait, quam ipse tuleris.* THE. *Et diuina vox in Euāgelio: Quæcunque vultis faciant homines vobis, eadem & vos faciatis. ministri enim Dei sunt in bonum, ad Romanos scribit Apostolus. &, Illo iudicio, quo iudicatis, iudicabimini. &, Qua mensura dimensi eritis, eadem remetietur vobis.* IVR. *Prætor edixit, Quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iure vtatur.* PHI. *Suadet etiam æqualitas societatis ciuilis, vt satis abunde mox disseruimus.* THE. *Considera ne his obstet illud Apostoli: Omnis potestas à Deo est.* HIST. *Imperium Romanum nimirū*

à Deo est; quoniã non vnius ciuitatis, sed vniuersi orbis fuit Resp. Nec propterea Princeps Romanus à Deo est, quòd Imperium Romanum à Deo fuerit; alioquin omnes Principes optimi fuissent. sed à Populo Romano constitutus non ignoratur. PHI. *Siue à Deo, siue ab hominibus Romanus sit Princeps, nolite existimare à Deo creatum mundum, & in eo homines, vt Principum seruirent emolumentis. absurdum quidem supraquàm dici potest, propter Principes factos homines opinari: nam liberos, atq; æquales nos Deus genuit; Principes solum ad commoda populorum, quo facilius humanam atque ciuilem societatem innocenter custodirent, mutuis inter se beneficiis iuuantes. Sunt autem nonnulli natura subditi, id est quibus vtile est vt imperetur; vti liberis à parentibus, iuuenibus à senioribus, stultis à prudentioribus, ignobilibus à generosis; & his, non seruitutis iugo, sed charitatis complexu, & quãdiu ipsis conducere intelligeretur; vti eis, qui propter ætates vel quid aliud, rebus suis superesse non possunt, velut prodigi, mente capti, & similes.* THE. *Hunc locũ perpulchre tractat Aurelius August. xviij. Ciuitatis Dei, ex Rep. Ciceronis.* PHI. *Hic incidit haud illepida inquisitio.* IVR. *Quænam?* PHI. *Quousque scilicet communem vtilitatem pro-*

curaturus sit Princeps. & hæc in alias multas diuiditur, quas vereor ne fastidiosum sit prosequi. IVR. *Mihi & aliis, ni fallor, plus quàm gratiosum nõ dubites.* THE. *Non falleris; res sunt auditione dignæ.* PHI. *Primum diuiditur in eas quæstiones: Vtrum ita communem sequatur vtilitatem, vt sua anteponat, etiam ingruentibus vtrinque necessitatibus. item: An eadem sit causa damni & lucri; Quid in pari, quid in dispari; puta si parum publice interesset, & Principis priuatim multum.* IVR. *Quæ tandem decisio?* PHI. *Quod omnibus prodest vel nocet omni casu præferendum ab eo, qui sese & sua omnia cunctis discriminibus obiectare pro cõmunitate paratus esse debet. nam nulla tam exigua communis vtilitas, quæ maior non sit quacunque maxima priuata. non est proportio eius commodi vel incommodi, quod priuatis parietibus coercetur, ad id, quod in multos distenditur. quo latius diffunditur bonum, eo melius; & malum, deterius. accedit, eo, quod communiter omnium interest, Principis quoque negocium contineri; ex contrario vero secus. Cicero: Potest autem quod inutile Reipublicæ sit, id cuiquam Ciui vtile esse? In comparatione causarum quæ potior sit habenda, idem Cicero, ex auctoritate Platonis, docet his verbis:*

Omnino qui Reipublicæ præfuturi ſunt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt ad eam referãt, obliti commodorum ſuorum. Idem tertio de Finibus: Vir bonus, & ſapiens, & ciuilis officij non ignarus vtilitati omnium, pluſquàm vnius alicuius aut ſuæ, conſulit. nec magis vituperandus eſt proditor patriæ, quàm cõmunis vtilitatis & ſalutis deſertor, propter ſuã vtilitatem aut ſalutem. ex quo laudandus ſit is, qui mortem appetat pro Republica; quòd docet Cicero, chariorem eſſe patriam, quàm noſmetipſos. IVR. *Audite ad hanc ſententiã aurea Imperatoris Iuſtiniani verba: Quod communiter omnibus prodeſt, hoc priuatæ noſtræ vtilitati præferendum eſſe cenſemus; noſtrum eſſe proprium, ſubiectorum commodum imperialiter exiſtimantes. Hac enim Conſtitutione ciuium commodis reſtituit caduca, & pro non ſcripta omnia fiſco vendicari ſolita. Alia item lege: Iudicibus ex publico conſtituta ſtipe, ſuffragia litigantibus oneroſa, & grauia populo, ſingulorũ præſcriptione ſuſtulit; ſuo ſic quæſtu non modice diminuto: quæ ſi non diſceſſiſſent ex aula, non ſic auare nunc exigerẽtur, quas popinas vocant; quarum libidine tribunalia publica ſub haſta væneunt.* HIST. *Videmus enim Scribarum, Quæſtorum ac Magiſtratuum concuſſio-*

nes in maximis redditibus computari, & noua veteribus grauiora pendi vectigalia. Dirus, non diuus Nero, misertus onerũ popularium, vectigalia quæ non aboleuit, imminuit. Diuus Augustus, & alij multi in annonæ difficultatibus gratis plerúmque vel leuißimo pretio, dimensi sunt frumentum. Traianus quinque millia ingenuorum puerorum de suo aßidue aluit. Imperator Nerua omnes pecunias, quas iniuste Domitianus rapuerat, spoliatis restituit: Romanis pauperibus decies quinquagies centena millia erogauit: Agros sua pecunia coemptos præpositis Senatorib⁹ quibusdã, inter egenos iußit diuidi: & tantum largitionibus indulsit, ꝙ vasa aurea, argentea, pretiosamq́; suppellectilem, vestes denique atque ornamẽta imperialia auctioni subiecit. Diuus Traianus, nihilo in munificentia segnior, ingẽtem tabellam rerum propterea vænalium in foro suspendit, ac circũferri fecit. Imperator Antoninus philosophus, Marcomanico bello largitionibus exhausto iam ærario, ne prouinciales grauaret, quicquid pretiosæ supellectilis & imperialium ornamentorum, vestes vxorias ac mundum omnem in foro Traiani venũdari fecit. Pudet à Gentilium Principibus Christianos piis largitionibus superari. PHI. *Non minus elegans ex his alia surgit inuestigatio.*

IVR. *Cuiusmodi est?* PHI. *Scilicet, Id reip. vtile num cum alterius detrimento sit procurādum?* HIST. *Haud multis res hæc agenda est, quia sanctissimo maiorū nostrorum, & Atheniensium iudicio sopita non ignoratur.* PHI. *Si placet, audiamus; quia non paruo præiudicio nobiscum agit.* IVR. *Immo delectat.* HIST. *Populus Ro. F. Camillo Cons. Faliscis longa obsidione cinctis, Magistri literarij ludi de primariis pueris proditionem respuit; expetibilius ratus, in longum atque etiam frustra obsidionem trahi, quam, sceleris turpitudine, citam certissimam victoriam contaminare. Maximis idem Populus dispendiis, ac discriminibus subleuari poterat formidabilis belli, quod à generoso ac potente Rege Pyrro inferebatur, si æque conducere duxisset, veneno, vt armis, vincere. Similiter Athenienses, clandestino incendio subductæ ad Gytheum classis, Lacedæmoniorū opes comminuissent, & imperium maris vendicassent, nisi Aristidi minime honestum differenti, audissent. Palpitatis ergo, istorum exemplo quàm intrepide defendi potest, Nihil quicquam vtile, quod parum honestum videri potest.* PHI. *Pulcherrimus hic in philosophia locus ac perutilis; quem copiose ac luculenter explicauit Cicero in Officiis, à Panætio de industria prætermissum,*

quòd dubitare turpißimum ducebat, num poſſet aliquãdo vtilitas cum honeſtate pugnare. Cenſebat enim nihil eſſe vtile, quod non eſſet honeſtum, nullámque maiorem peſtem in hominum animos irrepſiſſe, quàm eorum opinionem, qui hæc natura cohærentia diſtraxiſſent. de qua re Cicero, omnium recte Philoſophantium conſenſu, ac firmißimis argumentis concludendo, ait: Detrahere igitur alteri; & eius incommodo, ſuum augere commodum, magis eſt communi veſtram, quàm paupertas, quàm dolor, quàm mors, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Natura non patitur quod aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus. neque hoc ſolum Natura, iure gentium, ſed etiam legibus populorum. IVR. *Iure quidem noſtro valde abominabile eſt cum alterius iactura locupletari. Nunc demum intelligo ex hoc philoſophiæ fonte Ædilitia manaſſe ædicta de rebus vẽdendis, nequid emptor ignoret quod norit vẽditor: & dictum præſtare oportere & non dictum, quod interfuiſſet emptoris dici vel non dici.* PHI. *Paulopoſt idem Cicero ſubiicit: Qui ciuium rationem dicunt eſſe habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem; qua ſublata, libe-*

ralitas, beneficentia, bonitas, iustitia tollitur; quæ qui tollunt etiam aduersus Deos immortales impij iudicandi sunt: ab iis enim constitutam inter homines societatem euertunt. THE. *Constituit hoc Deus illo compendioso præcepto, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* PHI. *Merito iccirco Socrates execrabatur eos, qui vtile ab honesto seiunxissent.* THE. *Nostri etiã Theologi acerbioribus multo execrationibus, vt par est, insectãtur.* HIST. *O tempora, o mores; in quæ incidimus: non solum in Priuatorum lares penetrauit hæc pestis, sed Regias. quid inquam Regias? verum etiam Sacerdotum sacraria occupauit; vt nihil iusti, nihil pensi, nihil recti habeãt, nisi commodum. Aßiduos, solos beatos ac frugi: insontes vero, aut ignauos aut hypocritas arbitrãtur. post mortem nulla de vita quæstio: sed quantum auri argentiue relictum ab his, quibus sola arca fuit nisi scortum, aut ephœbus, aut alia, aut hæc omnia pro nudis & esurientibus, quos ex officio pascere oportebat. Æneas, Pius secundus, Papa Maximus, dictare solebat, Regio nomine indignũ illũ, qui suis commodis communem vtilitatem metiretur. quid dixisset de his, qui honestatem non aliter metiuntur?* THE. *Beatus Bernardus vociferatur in Clerum plus iusto, etiam si vltro*

porrigatur, capientem: quibus nefas esse dicit, pluris vel nummo vendere, vel minoris emere. HIST. *Sed humana isthæc. quid si diuina publice proscribi vidisset, suppositis etiam licitatoribus? diuina inquam illa, propter quæ pastor Petrus Simonem à se eiiciendo damnauit? O Bone Iesu, semel & clam Iudas te vendidit, à Sacerdotibus & Pontificibus emptus vt saluum faceres genus humanum: at nunc, vt perdas, centies in die & palam venūdaris, si emptor affuerit. Sunt qui hoc loco Populum Romanum incussent, qui gloriæ & imperij cupiditate totum terrarum orbem vi & armis infestassent; quibus ipsi secederēt, nisi iusto bello parta diuino & humano iure retineri possent, & nisi iuste domitis vtilius esset bonis domitoribus obsequi, quàm licentiose viuere. non desunt celebres scriptores, qui doceant nullum iniustum vnquam à Populo Romano gestum bellum, quod ante Cæsarum Tyrannides bellorum initia percūctanti cuique facile succurrit. sed pro omnibus sufficiat magnificum Ciceronis recensuisse testimonium; Verumtamen, inquit, quandiu Po. Ro. beneficiis tenebatur non iniuriis, bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur: exitus erant aut mites, aut necessarij: Regum, populorum, nationum portus erat; refugium, Senatus. Nostri autem Magistratus*

ſtratus Imperatoréſque ex vna hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ magis, quàm imperium poterat nominari. IVR. *Si Principis eſt publica curare ac tueri, nũquid ſic accipimus, vt quæ vſus duntaxat publici ſint, curet, vt Stadia, Theatra, Templa, Porticus, Mœnia, Portas, Portus; item Iudicia, Ærarium, Pacem, Bellum, Inducias, & id genus reliqua; non autem priuatis vtilia?* PHI. *Errant qui ita opinantur, quaſi homines talium gratia coiſſent in populos. vt nemo negotialem ſocietatem init ipſiuſmet ſocietatis cauſa, ſed vt ex ipſa communi negotiatione priuatim quærat, & affluentius neceſſitatibus ſubueniat; ſic mortales à natura nudi omniúmque rerum inopes, ac per ſe ſinguli ad paranda neceſſaria minime idonei, niſi mutuo ſibi opitulentur auxilio, ad ſuperandas neceſſitatum anguſtias ab initio conuenerunt. Indigentia, inquit Plato, Ciuitatum origo fuit prima. Ariſtoteles, Communis vtilitas, ait, coniungit homines, inquantum confert ſingulis. bene viuendi maxime hic finis eſt & publice omnibus & priuatim. Si priuatæ itaque vtilitatis cauſa ciuitates ab initio conditæ ſunt, quo cõmodius, affluentius, ſecurius, & ſine iniuria*

priuatim quisq; & sibi & suis prospiceret, quãuis postea probe viuendi ratio accesserit, ac perpolierit, non dubium est eadem ratione oportere Principem publice administrare, scilicet priuatorum gratia, qua à singulis in ciuilem societatem coitum fuit. quod planè efficiet, si ex publico ad singulos commoda defluxerint: alioquin impium mehercle nimis, detestabile, ac minime diuturnum, ciues in opulenta Rep. Tãtalos fieri. HIST. *Quod nobis, me miserum, contingit. in natali solo nequicquam diuinarum humanarúmque rerum participes sumus; & inquilinorum melior conditio. perlepide iccirco M. Antonius Alterius noster, vir suauitate eloquij, elegantia, ac morum grauitate clarus, percunctanti cuidam respondit, se ciuem Zulfuratæ; gentilitiæ villæ nomen est, ex qua vitam viuit: & quum instaret ille, num Romanus esset, Erras, inquit; si Roma mihi patria siue matria esset, nutriret. vtique, proh dolor, despecti sine honore, sine fauore iacemus, haud nostro, quod recreat, demerito. non fures, non latrones, non maleficos, sed alti ingenij atque animi, nihilque ob diutinam seruitutem remissi, bonarum artium studiosos adhuc gignit mea Roma. testis est Italia, quæ Romanis ducibus, equitatu, peditatúque cum*

Gallis, ac Germanis fortißime nunc pugnat. locupletiores testes sunt hostes ipsi, cum quibus quotidie confligitur. PHI. *Redeamus ad Remp. quæ stare non potest, nisi de peculij sui diuitiis priuatim cuique, quasi mammillas sugendas, præbeat. aptißime ad hanc rem animati corporis similitudine vtuntur Philosophi. cuius bustum si, depastis cibis, speciales non transmiserit succos ad mēbra & minutos vsque articulos, debilitari ac breuī interire necesse est. & propterea, sicut nihil busto vtile est quod non idem membris; neque membris vtile quod non idem corpori, eodem modo nihil priuatim vtile quod non publice; & e contra. Vnde palam fit priuata publicis vsque adeo hærere, quod ab eis diuelli nequeant: similitérque priuatis publica inseruire, arctißime colligata esse; vt qui vnum probe gerit, vtrumque gerat oportet; nihilque vtile priuatim censeat, quod non sit publice omnibus; & e conuerso; subtili quamuis consideratione distinguãtur. præclare igitur Cicero inquit: Vnum debet esse omnibus propositum, vt eadem sit cuiusque vtilitas, & vniuersorum. præterea si quisque Ciuis, vt sæpe dictum est, particula est Ciuitatis, qui cuiusuis Ciuis non curat commoda, partem proculdubio deserit Ciuitatis. Totum Reip. corpus curari*

Plato præcipit, ne perniciosi tumultus & seditiones excitentur. Princeps ergo & singulorum & vniuersorum commoda procurabit. IVR. *Hoc voluisse Vlpianum arbitror, quando dixit: Huius studij duæ sunt positiones, publicum, & priuatum: duos intelligo propositos fines, ad quos & Princeps, & legum lator, & interpres legum debet semper intendere.* PHI. *Recte quidem sentis: Principis est, omnium tam priuatim, quàm publice repositam in se curam non ignorare: &, quæ omnibus prosunt, præponere his, quæ paucioribus: &, quæ nequeunt omnibus, sed quibusdam prodesse, etiam si vel vni conducant, non negligere: & omnia ducat istorum gratia publice & priuatim in Ciuitate disposita: & propter hanc ipsam & non aliam causam se ad Principatum euectum. Imperium, ait Arist. est gratia vtilitatis subiectorum.* IVR. *Hoc idem Iustinianus in nouellis Constitutionibus ingenue profitetur, & gloriabũdus se iactat his verbis: Vt nostri subditi sub omni quiete consistant sollicitudine liberati, nobis in nosmetipsos pro omnibus cogitationes suscipientibus; illa agere quærentes, quæ, vtilitatem nostris subditis introducendo, omni eos onere liberent, & omni damno extrinsecus.* HIST. *Propter huiusmodi sollicitudinem sapienter diuus Diocletianus,*

Principatum molestiam esse dictitabat: & ideo post maximas victorias, ac gloriosissimos triũphos magistratu se abdicauit: & pluries à Po. Ro. reuocatus, maluit priuatim sibi viuere. plus enim oneris, quàm honoris habere dicebat.

MARII SALAMONII

DE PRINCIPATV.

LIBER III.

PHI.

POSTREMO, *vt nihil desideretur eorum, quæ ambitu publicæ vtilitatis continentur, cuius studiosissimum Principem esse oportere iam concessistis, scrutemur, Vtrum etiam quæ ad mores pertinent compræhendantur: & dubio procul compræhendi omnium sapientum vna vox est. Plato in Republica, & in Legibus nihil prius asserere videtur. igitur de hominum ad virtutem institutione ab incunabulis publice curam suscipiẽdam præcipit.* THE. *Quis curiosius Romana Ecclesia ordinauit ista? quæ non solum per ætatum discrimina, sed singula prope temporum momenta, & ab ipsa prima diei natalis luce, curam su-*

ſcipiendam agendámque præcipit, & à luſtricis diebus, adhibitis probis viris, quos Compatres vulgus vocat, qui religione & moribus pueros inſtituăt. vtinam, vt ſancte inſtituta ſunt omnia, ſic ab his, quibus commiſſa eſt diligentia, implerentur. HIST. *Vereor de Clero noſtro diciam poſſe idem, quod de Græcis ſcribit Curtius, quod profeßione bonarum artium, malis moribus corruiſſent.* PHI. *Hunc locum de Ciuium inſtitutione copioſe pertractat Ariſtoteles iij. de Repub. planúmque facit, non modo viuendi, verum etiam bene beatéque viuendi gratia, Ciuitates conſtitui; alioquin ſeruorum & prædonum conuentus eſſet Ciuitas. & denique concludendo, ait: Ex his manifeſtum eſt de virtute curam habendam; eáque re vere ciuitas eſt nominanda. Si proprium eſt Ciuitatis de virtute cură habere, palam fit, haud diuerſum Principis munus eſſe, qui perſonam Ciuitatis gerit. ſi neglectu virtutis Populus indignus fit nomine Ciuitatis, longe indignior fieri debet Princeps maieſtate & nomine Principatus. Cuius rei multiplex proditur ratio; cùm, quòd virtutis vſus ad veram ducit felicitatem, cuius gratia omnis bene conſtituta intelligitur Ciuitas: tùm, quòd ſine amicitia, vt nulla alia, ita nec iſta ciuilis conſiſtere poteſt ſocietas. morum*

enim ſimilitudo inter ſe conciliat homines, ſecundum virtutem viuentes: diſsimiles moribus diu ſimul eſſe non poſſunt. Plato: Vt ſimile ſimili, ſic moderatum moderato amicum eſt. immoderata vero neque inuicem, neque moderatis ſunt amica. & veluti Virtus conſtans & perpetua eſt, ſic eadem ſemper à virtute lex, idem viuendi tenor ſibi ipſi conſentiens, & finis optimus eſt. vnde pulcherrima conſenſio & illa Pythagorica harmonia. neque longe exempla petantur. Mea Roma virtutis dũtaxat ope cum cælo de Imperij finibus litigaſti: & tu mater Eccleſia, quando eſuritione veſcebaris, nuditate veſtiebaris, egeſtate ditabaris, frugalitate ornabaris, fide cælum ſcandiſti, continentia meruiſti, charitate poſt Deum in excelſo conſediſti, terram pro pedum ſcabello deſpexiſti. ſi ſic viuere perſeueraſſes, nullum inter Patres diſsidiũ videremus, nulla de Concilio decennali eſſet contentio, nullus de corrigendis moribus metus, ſed omnis de ſola animarum ſalute ſollicitudo: cætera, vt caduca & vilia, deſpecta iacerent. at nunc, profligatis virtutibus, pro paupertate diuitiæ, pro pietate rapacitas & infenſa Deo ſimonia, pro mãſuetudine ambitio, faſtus, ſuperbia, pro frugalitate luxus Attalici, & plus Neronianis inuidioſa atria. pro pãnoſis, ſericiæ & pur-

pureæ inter vilißimas numerantur vestes. pro ieiuniis, crapulæ & cenæ plusquam centenariæ. pro continentia, omnium voluptatum exquisitæ illecebræ. pro orationibus, arma & anathematicæ consultationes. pro charitate, bella, cædes, oppugnationes, excidia; & inter ipsos Patres exitiale hoc ipsum, quod videmus, excidium. Quid futurũ censetis si Cardinalium pars illa, quæ Pisas secesßit, Concilij compos fiat, & alterum nobis opponant Pontificem? Quis Gallorũ & aliorum in nos impetus sustinebit pro Ecclesia, & suo Antipapa? iure se arma sumere male persuasi, Antichristos nos appellantes. Verùm si virtutis vsus, si honos esset, si Saluatoris præcepta custodirentur, talia non timeremus. vereor iratus ne Deus vibret in nos gladiũ vindictæ. merentur maiora his nostra peccata. in cilitio & cinere plangendum. non est qui resipiscat. nulla sacerdotibus cura in asserenda, propitianda, procurandáque Dei ira. cæci à cæcis ducimur. IVR. *Quibus ergo artibus Princeps bonos efficit ciues? an, vt ait Vlpianus, pœnarum cùm metu, tùm præmiorum pollicitatione?* PHI. *Solon dicere solebat, his duobus, præmio & pœna Remp. contineri. quæ haud inciuiliter accipienda sunt; scilicet vt statim in delinquentem sæuiatur, nisi virtutis indociles appa-*

rerent, & cõtemptores. philosophice enim loquitur Vlpianus: bonos non solum metu pœnarum, sed præmiorum exhortatione efficere cupiens, is veram ni fallor, & nõ simulatam philosophiam affectat. oportet enim omnem operam nauare prius, vt discant bene agere. Aristoteles in Rep. Nihil prosunt vtilißimæ leges, quæ à Gubernatoribus decernuntur, nisi moribus instituti, & disciplina imbuti homines fuerint. Disciplina autem est, secundum Platonem, ea vitæ institutio, quæ in amorem virtutis paulatim adducit animum puerilem. & propterea deridet idem Plato, & vt crudeles detestatur eos legumlatores, qui statim constituunt quemadmodum scelera plectantur; quomodo vero homines bene viuere discãt, nihil adhibent diligẽtiæ. HIST. *Ecce quàm plane experimur, sanctißimos Canones vel minimum valere inter perditos nũc mores. in coaptandis in Clerum viris: Vltima de moribus (vt ille ait) fit quæstio. o vtinam fieret vltima. cordate ædepol Ennius: Moribus antiquis res stat Romana virísque. Maiores nostri vtique huic diligẽtiæ Censores tetricos præfecerũt.* THE. *Aurelius Augustinus in laudem Romanorum, ex Republica Ciceronis verba hæc scribit: Neque hi viri, nisi ita morata Ciuitas fuisset; neque hi mores, nisi hi viri præfuissent,*

aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent tantam, & tam iuste lateque imperantem Rempublicam. HIST. *O miseram temporum nostrorum conditionem, quòd, nulla publice instituta disciplina, peccantes veniam nec speramus, neq; bene agendo præmia expectamus. Considerastis quàm grauiter ferre visi sunt quidam, quando in consilia plus solito conueniebamus pro corrigenda cùm inertis iuuentutis ignauia, tùm luxu & petulantia, próque conciliandis ciuium inter se animis: & vbi resciuerunt, inter Vrsinos & Columnen. positis armis ac simultatibus, Iulio hinc, & inde Fabritio Principibus, vniuerso S. P. Q. R. astipulante in Capitolio, desideratissimam celebratam pacem, conceptam propterea animi molestiam desitum fuit dissimulare. qua re cognita, nonnulli metuentes voluntario exilio secesserunt; vt Iulius Alberthiscus, quòd in eius Conseruatoratu hæc & alia multa gesta sunt è Republica: Pompeius Columna Episcopus Reatinus: Robertus Vrsinus, princeps Senatus: & alij Ciues multi. Heu heu, quò versa res est? vt qui quondam benemereri de Republica studuissent, inter heroas claros venerabantur, ij nunc in tabellam proscriptorũ referri timent. In puniẽdis peccatis pessime cum reis nũc agitur: aut bonis, aut vita & bonis simul exuũ-*

tur. nulla castigandi ratio, vt meliores fiant: nulla quoque exemplaris pœna, vt alij terreantur. ærarios fieri Ciues, non bonos, amant. Diuo Traiano inter cætera Optimi cognomen tribuit, quòd nulla fisci causa, se Principe, bona esset; nũc vero nulla mala. Modestinum in causis dubiis contra fiscum intrepide iudicatum respondisse ferunt. pro fisco nunc semper fit iudicatio. Sapientes duas pœnarum species commendant, Castigationem & Exemplum: Castigatio, vt qui imprudens peccauit posthac fieret consideratior, vel quoties spes esset reum ad meliorem frugem redire. Exemplum appellant capitalem pœnam, qua cæteri admonentur. IVR. *De hac pœna nũc intelligo Claud. Iureconsultum respondisse: Nimirum, multis personis grassantibus, exemplo opus esse.* HIST. *Eandem pœnarum distinctionem Virgæ & Secures in fascibus Prætorianis pollicebantur. virgæ, quod emendari potest corrigunt: secures, quod emẽdari non potest succidunt. non ergo statim neque paßim, maximéque indicta causa, ad cædem prosiliendum est.* THE. *Peccantem iterum corripi, & non cædi, Iesus præcipit; & Arbor illa infructuosa post tertiam stercorationem iussa est succidi.* HIST. *Aliud quoque notatu dignum in illis fascibus cernebatur, quòd colligati, & non soluti essent.*

vnde vſurpatum arbitror, quod hodie vaginati gladij Poteſtatibus præferũtur pro faſcibus; qui Prætores præibãt, ea ratione, quòd non in promptu & ad manus de capite cognoſcentis expeditas ſecures eſſe volebant: ideſt, quòd omnis puniendi ratio vinculo humanitatis, & miſericordiæ dulcedine eſſet irretita, quòdque non niſi lege, & inuitus ad vlciſcendum accedere videaris. IVR. *Audite ad hanc rem quæſo eloquentiſſimi, ac ſanctiſſimi Leonis Papæ verba aurea hæc: Plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm ſeueritas: plus exhortatio, quàm comminatio: plus charitas, quam poteſtas. Sed ab his, qui, quæ ſua quærunt, non quæ Chriſti, ab hac lege diſceditur: & dum dominari magis, quàm cõſulere ſubditis placet, honor inflatur in ſuperbiam.* HIST. *Diocletianus Imperator, Iuſtitiã ſine miſericordia crucem eſſe dicebat: dignum mehercle Principe dicterium. furentis ſane, & ſanguinem humanũ anhelantis eſt, præcipitem in ſupplicia ferri. Sæpiſſime nos ipſi vidimus, ſi memoria tenetis, in media vrbe, eodem momento & captos & capite truncatos multos. quod plerumque faſſus eſt Princeps, à ſe imperatum ne ſupplicationibus vinceretur.* PHI. *Quid audio? pulchrius duxit, crudelior quàm indulgentior videri.* HIST. *Antiquitus tanti de capi-*

te hominis iudicium erat, quod publica iudicia multorũ grauissima censura agitarentur ex omni ordine lectorum iudicum, Plebeio, Equestri, & Senatorio: ac dispari numero, vt plurium saltem numero certa sententia vinceret. In causa Miloniana vnus & septuaginta dati Iudices memorantur; fiebátque reis recusandi potestas, quos volebãt reiici; & in reiectorum locum ex vrna alÿ sublegebantur. auctor est Asconius Pedianus. sub Imperatorib. postea introductum, de nullo supplicium sumi, nisi proprio Cæsaris chirographo tabella subscriberetur: &, quum inhumanum ducerent etiam in facinorosos sæuire, Aqua & Igni interdicendi ius induxerunt: interdicto enim earum rerum vsu, sine quibus uita consistere non potest, rei inter mortuos numerabãtur. humore sane, & calore corpora animari intelligebant. Hinc à noua nupta ignem, & aquam tangi instituerunt. quod institutum adhuc in sacris nuptialibus retinemus. Cruenta vero supplicia raro, & in humiliores ac perditissimos, exercebant. nunc autem vnius stulti arbitrio, & indicta plerumque causa in omnem passim secures expediũtur. Horret animus dum recursat in mentem carnificina illa, quam quotidie pro spectaculis spectamus, de exossatis per longa supplicia, & candenti forfice excarnifica-

tis corporibus. Olim non nisi atra die, ac deserto & infami loco suppliciis rei subiiciebantur. nūc vero ipsa die, ac via celebri, qua in Cōsistorium itur; quasi commeantibus gratum sit in crucem actorum spectaculum. non sic Maiores nostri, sed humaniter, clementer, religiose. & Sacerdotibus omnino piaculare esse voluerunt, ne vita forent inoptabili. PHI. *Platonicum est etiam istud institutū. in Epistola ad propinquos Dionis scribit, Sacerdotem in ferenda necis, carceris, exilij sententia contaminari nefas esse. idem in Gorgia ait, Non decere sapientem inoptabilem vitam habere: inoptabilem putat eorum, qui capitalibus ius dicunt.* IVR. *Hoc idem sacris Constitutionibus continetur; quāuis Episcopi hodie titulo Gubernatoris huic ministerio prçficiātur.* PHI. *Dic, prudentissime, quàm bene Episcopus orabit pro populo? Vir sanguinis quàm bene plebem suam instruet; cuius inter tortores & carnifices cōuersatio est, & de extendēdis equuleis sedula disputatio; quiq; pulchrius ducit solertiorē latrunculatorem quàm religiosum Episcopū, haberi?* HIST. *Dirus, nō Diuus Diocletianus, Magistratib⁹ vrbicis, prouinciarūq; Præsidibus tantum curæ adhibuit, vt neq; modestiores vnquā, neque iustiores extitisse perhibeātur. nunc autē pudet à Cæsarū ignauissimo in moderamine Iu-*

ris dicundi nostros superari. ad Magistratus deligũtur inclemẽtes, rapaces, callidi, & plerunq; licitatione vincentes, ea, quod peius est, lege, vt nullis legibus etiam repetundarũ teneantur. vnde verum experimur illud Aristotelis: Qui legibus hominem præponit, sæuissimam bestiam præponit. PHI. *Obseruate obsecro hæc Platonis quarto De legibus, verba: Interitum, inquit, illi Ciuitati paratum video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt: salutem vero illi, vbi lex seruiẽtibus magistratibus dominatur.* HIST. *Inter ipsas namque leges & secures & tribunalia, flagrans in omne facinus libido dominatur. cuius rei quum grauate premeremur, & in consiliis pub. verba fierent, detestari nostra consilia cœpta sunt; nec ante calumniari desitũ, quàm Curia clauderetur. Eloquẽtissimus Tertullianus, honorũ virorũ, et pro rebꝰ minime improbis, negat esse cõuenticula. Diuus Antoninus respondit, Iustã seruitutẽ seruientiũ querelas malæ tractationis aduersus dominos suos audiendas: nobis vero ne hiscere quidem concessum. in Phalaridis Tauro bulliẽtium mugitus inhibitos nusquam legimus: crudelissimũ ædepol, & supra quàm dici possit, in tormentis tacere iussis tormẽtum.* PHI. *Bonis autem moribus imbuitur Ciuitas verbo & opere; qui-*

bus solis omnis recta institutio cõtinetur. THE. *Saluator noster cæpit prius facere, quàm docere. Qui iubet aut docet, & non facit, seductor est, ad vitiumque instruit. Lactantius: Incongruẽs atque ineptum, non in pectore, sed in labiis habere bonitatem. Verum nemo effigiatius expressit quàm sanctus Basilius; ille, quem ex multiscia rerum cognitione Magnum Græcia vocitauit: Qui enim, inquit, virtutem in cœtu hominum laudant, amplißimísque verbis extollunt, ipsi vero & libidinem temperãtiæ, & quæstum iustitiæ anteponunt, hi mea sententia nihil differunt ab Hystrionibus: qui, cum poemata in scæna agunt, sæpe vt Reges vel vt potentes prodeunt, cum tamen neque Reges sunt, neque potentes, neque omnino forsitan liberi. At hic vltimus est iniuriæ terminus, bonus videri cum non sis.* PHI. *Non Christilogos sequitur populus, id est, qui bene loquuntur & male agũt. sic Imp. Pertinax huiuscemodi homines appellitabat. Mores Principum regula sunt viuendi Ciuibus, ac exemplar validißimum; in quos omnium conuersi oculi insudant fieri similes. morum vero dißimilitudo parit odium, sicut similitudo gratiam. gestit quisque ea agere, quæ Principem oblectant. quæ res quantum valeat ad mores Ciuitatis, Plato docet his verbis: Non*

multo

multo labore, neque longo tempore Tyrãno opus est ciuitatis mores mutare. nam siue ad virtutis officia siue contra, ciues perducere velit, ipse prius viam, per quam sequantur cæteri, ingrediatur oportet; omniaq; in seipso primũ expressa præscribat agẽdo; alia quidem laudans atq; honorãs, alia vero vituperãs. HIST. *Elegãter ergo iunior Plinius Traiano dixit: Vita Principis censura est, eaq; perpetua. ad hanc dirigimur: ad hanc conuertimur. neq; tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.* THE. *Hinc Apostolus ad Timotheum scribit: Forma esto fidelibus in conuersatione, in fide, in castitate.* HIST. *Sed quid sapientum, ac sanctorum dogmata commemoramus? nonne ipsi experti sumus? quandiu virtuti honos fuit, Papalis non solum Curia, verum etiam vniuersus Orbis doctißimis atque sanctißimis abundauit viris. at vbi vitia irruperunt, & in summa arcis pro tribunali visa sunt dare honores, nemo bonus fieri concupiuit. si dignitates omnes auctionariæ cernuntur, quæ virtutum splendore mereri debent, quis, ad hæc fastigia anhelans (anhelant sane omnes) cumulandis opibus non inuigilet? cumulari autem sine vitio vix possunt, vt in Prouerbiis legitur: Qui festinat ditari, non erit innocens. Pudet dicere quibus gratis patent dignitatum*

portæ. nil mirum, si iam paucißimi bonarum artium sunt studiosi. veráque vox illa: Sub bono Principe mali Ciues esse non possunt. & contra: Sub malo Principe boni esse non possunt. THE. *Grande dubioprocul in Principibus crimen, ac pernitiose contagiosum, quando eorum exemplo populi discunt intemperanter viuere: & vsque adeo grande, quod expetibilius sibi sit crudeliter cædi, Christo Iesu nostro acclamante: Siquis scãdalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei vt in collo eius suspendatur mola asinaria, & mergatur in profundum maris.* HIST. *Quid si scandalizat orbem vniuersum?* THE. *Tot mortibus dignum beatißimus Gregorius tradit, quot ad subditos perditionis exempla transmittit: atque, omnium Doctorum consensu, tanquam hæreticus Episcopatu eiiciendus. incorrigibilis enim quisque non immerito inter hæreticos nominatur, ea vel maxime ratione, quòd peccandi impudentia non nisi ab incredulitate proficiscitur, locupletißimo Cypriani testimonio, in hæc verba: Diem domini, & iram Dei, & incredulis dira supplicia, & statuta perfidis dira tormenta nemo considerat; quod metueret conscientia nostra, si crederet: quia non credit, omnino non metuit; si autem crederet, caueret; si caueret, euaderet. Clemens Papa:*

Qui enim rebelliter viuit, & discere aut agere bona recusat, magis Diaboli quàm Christi mẽbrum esse ostenditur; & potius infidelis quàm fidelis esse monstratur. PHI. *Postquam scandalizatio tam exitiale scelus est, vtrum opus est à vero procedat crimine?* IVR. *Sunt qui exigũt verum sit crimen & notorium vsque quo scandalum pariat in populo: quorum iuuatur sentẽtia, Si nemo præsumptione damnandus multo certe minus summus Pont. cuius culpam redarguere audet nemo mortalium.* THE. *In diuersum eloquẽtissimi Martyris Cypriani vrget auctoritas, Lib. de Sing. Cler: Peius est, inquit, quàm mœchia cõtinentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. Idẽ Cyprianus lib. De habitu virginum: Excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica: redarguunt te cultus improbi, & impudicus ornatus; nec computari iam potes inter puellas & virgines Christi; quæ sic viuis, vt possis adamari. Et vtique scandalizatio Deo infensa est; non ob id solum, quo peccatur; sed, quo scandalizatur. nam & peccari potest sine scandalo; vt illud Apostoli: Si non caste, caute. & scandalizare potes absq; eo peccato, quod peccare videris: nihil interest, quod ad nos mortales, male vel agas, vel agere videaris. si me fugit vere num fece-*

ris; non me fugit per id, quod peccasse videris. Neque minimum peccat quisquis sic viuit, vt peccare videatur: non enim in eo quod non facis, sed in eo quod facere videris, scandalizas. Ad hæc Aurelius August. lib. De Com. vita Cler: Duæ res sunt, conscientia & fama: conscientia est necessaria tibi, fama proximo tuo: qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est: quæ crudelitas, Viri disertißimi, non in seipsum, vt vulgo creditur, sed in alios est, qui male agendi inducunt licentiam; vt idem Aug. alio loco declarat, dicens: Non sunt audiendi qui sibi sufficere conscientiam dicũt; existimationem autem non solum impudenter, verum etiam crudeliter contemnentes; quum occidant animas aliorum. IVR. *Non ergo suspicionibus summus Pont. iudicatur, sed manifesto scandalizationis delicto. hinc, nullis accusantibus, sanctißimum purgandi ius introductum legimus; & sponte multos Pont. subiecisse colla; vt Xistum, Leonem iiij.* HIST. *Hodie capitale est de purgatione, aut concilio cogitare: nec ob aliud tot annos infestis oppressa armis miserabiliter luget Italia; in cuius excidiũ omnium Christianorum concitata sunt arma, omnium Barbarorum immanitas, ac rabies irritata. testis est Verona, Vicentia, Patauium, &*

reliqua Venetia tota; item Æmilia, Tuſcia, Rauenna, Brixia: vbi ſine diſcrimine ætatis, ſexus, locorum, ſæuitum crudeliſſime non ignoratur: illiſi infantes, direpta templa, profanata ſacra; Moniales virgines, nuptæ atque innuptæ cæſæ, ſtupratæ, venundatæ, proſtitutæ: nec ante ab hoſtibus ceſſatum, quàm perpauci ad infamem miſeriam reſeruati intelligerẽtur. Ter ſignis collatis pugnatum; ſupra ducenta millia Chriſtianorum deſiderata; plus riuulis decurrentis ſanguinis humani, quàm imbrium, irrigata terra. delirant Reges, vt ille ait, plectuntur Achiui. pro aliorum nequitia pœnas dant innocentes; &, quod crudelius eſt, deletis ſæpe copiis, redintegrare bellũ non ceſſant. quo ventum eſt? aurũ Eccleſiæ, ex eleemoſinis in alimoniam pauperum, & captiuorum redemptionem congeſtum, effunditur in perniciem etiam animarum. Orabat Moſes vt vinceret, non pugnabat. cecidiſſent Reges & Duces Longobardorum, ſi diuinus Gregorius humano ſanguine pollui non formidaſſet. Ambroſius, irruentibus ad Eccleſiam occupandam armatis, ne qua ſtrages ſequeretur, non reſtitit vi, vt poterat, ſed oratione & lachrymis; quæ ſola Clericorum arma eſſe dicebat. idem Ambroſius Theodoſium Imperatorem Templi aditu repulit, quòd in Theſſalo-

nicenses non sine innocentum discrimine sæuisset. qualem arbitraris se præstitisset erga eos Sacerdotes, qui haud dißimilis sæuitiæ extitissent? quid si vidisset, deuastatis Italiæ Vrbibus, & centenis millibus Christianorum cæsis, Gentiliũ more superbos per Vrbem trahi triumphos, solennia Deo vota solui, gratulationésque agitari contra rationes triũphandi, sanctißimáq; Ciuitatis nostræ instituta? quæ nunquam funestis Ciuium, Sociorumue victoriis lætari visa est. Quibus verbis humanitatẽ tuam efferam, C. Antoni, victor Catilinæ, quòd abstersos gladios in castra mœstus retulisti? inuidiosum sane censebas (& si optabilis, & Reipublicæ pernecessaria ea victoria fuerit) sanguinolentis gladiis Ciuium, vt externorũ cruore hostium, exultare. L. Cecinna & C. Marius, vt ciuilis sanguinis auidi, sic moderatißimi victores, quòd non protinus ad templa Deorum & aras cucurrerũt. L. Sylla, insolens quãuis victor fuerit, de confectis persæpe bellis ciuilibus neque vnquam ouans triumphansque visus proditur. denique Fabius meminit, lauream nec Senatũ cuiquam decreuisse, neque quẽquam sibi dari petiisse, Ciuitatis parte lacrymante. THE. *Neque mirum si tam execrabilis est scandalizatio, quòd plura deterrima inde sequuntur mala; ipsius charita-*

tis derelictio, Christianis infidelitas, & peccandi licentia, non Christianis irridendæ, at detestandæ, quod peius est, Religionis ansa. Apostolus: Si propter escam frater tuus scandalizatur, iam non in charitate ambulas; noli esca tua illum perdere, propter quem Christus mortuus est. Cyprianus: Blasphemiam ingerit religioni, quam contulit, qui quod confitetur non ante omnes impleuerit, ne Christianitas credatur esse fallacia, & mœchatio videatur sanctitatis velamẽto vestita. propter quod Dominus in Euãgelio sic præmonet, dicẽs: Sic lumen vestrum luceat coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Paulus; Estote sine scãdalo Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut ego, qui per omnia omnibus placeo; non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Simon Petrus: Hæc est voluntas Dei, vt, benefacientes, obmutescere faciatis stultorum hominum ignorantiam. quomodo ergo obmutescere facient qui blasphemias ab infidelibus prouocant, & fidelibus perniciosum præbent exemplũ? iccirco Paulus ad Timotheum scribit: Non percussorem Episcopum; id est, qui conscientiam non percutiat singulorum, vt contra Iouinianum placet Hieronimo. male ergo Gratianus interpretatur,

ne propriis manibus aliquem cædat. qui sensus cum non quadraret eidem Hieronimo, statim subiunxit; Non enim pugilem describit sermo apostolicus, sed instituit quid Pont. facere non deberet. abstinere omnino debet nō solum ab his, quæ turpia sunt, Episcopus, verumetiam ab his, quæ indifferentia habentur, quando propterea prospicit in scandali offensam incidere. Idem Paulus ad Corin. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. PHI. *Principem ergo & esse, & credi bonum virum oportet, si virtutis studiosam reliquam multitudinem fieri desideramus.* IVR. *Quibus virtutibus præstare debet Princeps?* THE. *Omnibus quidē. & iccirco Aquinas noster ait: Non dicitur esse aliquis bonus Princeps, nisi sit bonus per omnes virtutes morales, & prudens. vnde oportet Politicum, id est Rectorem politiæ, esse prudentem, & per consequens bonum virum.* PHI. *Et imprimis, prudētia; quòd dux est aliarum omnium virtutum; similiter, & temperantia; sine qua nemo iustus esse potest. Nam sicut haud quisquam est, qui vicino, familiariue forti, aut liberali, multarumue artiū perito, contentus sit, nisi sit etiam temperatus; pariter nec intemperato Principe lætari potest. Hinc Plato ait; Princeps si temperantiam non*

habeat, reliquas licet virtutes habeat, nihil est. item magnifica liberalitate vsque adeo pollere debet, vt ne minima pecuniarū cupidinis suspicione maculetur. quod si in pretio census habeat, nemo non auripeta efficietur. IVR. *Nihil mihi videtur istud absurdi continere; quinimmo plus Reip. expetenda Patrisfamilias diligentia, quàm inertium desidia: Patris enim familias est opus, quærendorum sollicitudo: isq; œconomicæ finis, vti Mercaturæ, quæstus; & Medicinæ, sanitas: quæ sollicitudo homines reddit solertiores, industrios; quique, quantum ignauis præstant, tantum communitati sunt vtiliores. diuitiæ singulorum, non alterius magis, ingruentibus necessitatibus, quàm vniuersorum, esse intelliguntur. quo opulentior est Resp. & potentior & sublimior & nobilior sit, est necesse. Si pauperes Maiores nostri extitissent, tam late imperantem Remp. non habuissent: tametsi armis belligeretur, nihilominus belli neruus est pecunia; quam desiderantes sunt imbelles, inermesque. præterea pauperes fœlicitatis Aristotelicæ compotes haud fieri possunt, quòd vsu exercendæ liberalitatis destituuntur.* PHI. *Et si in fronte falsa opinione præcepta isthæc vera videātur, in recessu tamen qui penitus introspexerit, & libramine rationis pēsitauerit, nihil tam*

inimicum Reipublicæ cõperiret, quàm diuitiarum illecebras. licet patrisfamilias officium ſit quærere, & quæſita tueri, citra vitium tamen accipimus, vt non ducat in delitiis, ditari; ſed, non egere. Hinc Diues dictus, quòd nihil egeat, quaſi Deus. Egere vero ſapientes referunt ad neceſsitatem, non autem ad luxus & voluptates. neque Diues definitur, qui multa habet, ſed qui paucis eget, quique egere non ignorat. nam quo plura habeas, pluribus egeas eſt neceſſe. diuitiæ moderatione animi terminantur, non rerum affluentia. Cato Porcius ſibi exprobrantes quòd multis egeret, deridebat; quòd neſcirẽt egere. opes itaque appetendæ pro inſtrumento ad bene beatéque viuendum. THE. *Hoc illud bonum opus eſt, de quo Apoſtolus ſic ait: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, id eſt occaſionem exercendarum virtutum habere, ſecundum Hieronimum.* PHI. *Verum quia difficile eſt in delitiis diuitiarũ verſari, & illis non reprehenſibilem eſſe, eorũ ne te inſidioſis blanditiis committe, quibus facillime captiuaberis. Sapienter ergo Crates ille Thebanus, proiecto in mare non paruo auri pondere, Abite, dixit, peſsimæ voluptates: ego vos mergã, ne ipſe mergar à vobis. Pythagorici, Platonici, ac Stoici in ſolitudinibus, & deſertis, ac peſtilentibus locis habi-*

taſſe feruntur, ne vlla voluptatum illecebra à contemplatione Sapientiæ auocarentur. THE. *Ad hànc rem Hiero. contra Iouinianum ſic loquitur: Si quis exiſtimat verſari inter delitias, & delitiarum vitiis non teneri, ſeipſum decipit: quum enim, procul ab his remoti, ſæpe capiamur naturæ illecebris; & cogimur ea cupere, quarum copiam non habemus; quanto magis, ſi circundati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? Vetus quoque ſententia eſt: Difficile, immo impoßibile eſt, delitiis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus. fruſtra quidem ſimulant, ſalua fide & pudicitia & integritate mentis, ſe abuti voluptatibus: quum contra naturam ſit, copiis voluptatũ ſine voluptate frui. & Apoſtolus hoc ipſum canens, dixit: Quę autẽ in delitiis viuẽs eſt, mortua eſt.* PHI. *Periculoſa itaque res eſt, & vſque adeo periculoſa, quod reprehenſione non carebit quiſquis continentiam vel prudentiam profitetur, & huiuſcemodi diſcriminibus ſeſe oblectare nõ reformidat: ſatius quippe exiſtimo per egeſtatem liberalitatis vſu carere, quàm tam infami periculo ſe committere.* HIST. *Quod ſi ratio non ſuadet, ſuadeat ſaltem haud latens atque domeſticum experimentum. Rigiditas Romanæ Eccleſiæ aduerſus voluptatum illecebras diui-*

tiarum delinimentis emollita, atque prorſus ef-fœminata cernitur: & quæ calcare humilitate ſuperbiam, & imperij faſtus deſpicere ſolebat, poſita nunc manſuetudine, cæca ambitionis libidine furens, dominandi poteſtate ſuperbit. Quid maius vnquam Rom. Imperio? quod tamen non aliis armis, quàm diuitiarum blanditiis expugnatum atque euerſum videmus. fallitur quiſquis res magnas vi diuitiarum peragi putat: atqui nec armis præclarum quicquam conficitur ſine prudentum conſilio & authoritate: quid humilius Caßio Romuleis? quid eiuſdem victoriis glorioſius? non opulentia, ſed virtutis robore totiens de finitimis triumphauit. decreuit, non creuit; immo interiit res Romana luxurioſis diuitiarum opibus. quid plura? poſtquam ſapientißimi Catonis habemus teſtimonium: cuius verba in Oratione ad Senatum contra Catilinam ſunt hæc: Nolite exiſtimare Maiores noſtros Remp. ex parua armis magnam feciſſe; ſi ita res eſſet, multo pulcherrimam haberemus, quippe ciuium atque ſociorum, armorum atque equorum maior copia nobis, quàm illis, eſt; ſed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. pro his nos habemus luxuriã

atque auaritiam. IVR. *Nugas audire videor. Si neque armis, neque pecunia res magnæ conficiuntur, quibus rebus dicitis confici?* PHI. *Non animaduertisti Catonis recitata verba, quod magistra Virtute? Hæc sola sapientes facit, fortes, prudentes. hæc nihil fugiendum docet, nisi ignauiam, turpitudinem, vitium; nullos hostes formidabiles fore, nullum locum asperum, inaccessibilem, inexpugnabilem; nullum laborem insolitum; sitim, famem, vigilias tolerare; sub dio iacere; sole, imbribus, gelu, frigore durare membra; solos hostes odisse, ciues & socios diligere, iustitiam colere, Deos propitiare suppliciter; pro fide, pro patria pulchrum mori; hostes inuadere, loco pellere, ciues seruare; ante alios ascendere muros, dicto parere.* HIST. *His me hercle artibus fundata res Romana creuit; potentissimi Reges domiti, bellacissimæ gentes ac populi subacti, parua sæpe militum manu numerosi hostium exercitus deleti.* IVR. *Superuacuæ ad rem bellicam sunt isto modo pecuniæ.* PHI. *Nisi quatenus necessitati, quæ cito expletur, faciant satis. nullus diuitiarum cumulus satis est his, qui mercenario belligerant milite, & Tyrannis imprimis. alia sane ratio est pugnantium pro patria, pro imperio propagando vel conseruando, longéque*

nobilior pro libertate, pro liberis, pro focis, pro laribus. alia alienigenorum, qui conductitia stipe pugnant. quid ab his præclarum expectare possumus, qui stipem quàm seipsos habent chariorem, aut stipe se putant viliores? Nunquam ad tantum fastigium res Romana peruenisset, si non suis lacertis dimicasset. HIST. *Quantum intersit pro se, an pro aliis pugnare, Pisani memorabile documentum nostra ætate præstiterunt: omni pecuniarũ & sociorum auxilio inopes, quatuordecim annorum obsidionem fortissime soli sustinuerunt non modo aduersus Florentinas opes, verum etiam vniuersos prope Italos, Gallorúmque impetus; qui omnibus tum formidolosi erant. splenduit tum Pisana virtus etiam fœminis, iuxta viros pro muris pro portis pro stationibus, die noctúque militaria munera intrepide obeuntibus. merentur certe suarum laudum egregium præconem. sed multum interest, vt ille ait, in quæ cuiusque tẽpora virtus incidat. quia pro libertate pugnabant, vbi ab omnibus iuuandi erant, pudet dicere, vel spectatores suarum virtutum, vel expugnatores omnes senserunt.* IVR. *Profecto isthæc ratio efficit, quod mercẽnarij milites vel dum in castris degunt, vel in bello cadunt, iisdem honoribus & fauoribus non gaudeant, quibus pro*

patria pugnantes vel occumbentes. PHI. *Blandiuntur ædepol sibiipsis Potentatus nostri temporis, quando se magnos existimant, quòd pecuniis, & multo conductitio abundant milite. Ego vero solitus sum dicere, imbelles homines quãuis locupletes, & qui alienis manibus præliantur, neque bello neque pace potentes. quid si pecuniæ non suppetant? quid si mercennariũ non inueniant militem? Et profligato exercitu, vnde & quàm præsto & quàm strenuum reparabunt, nisi fortuitũ quemque, rudem, inexercitatum, vel trioboli militem?* HIST. *Verissima loqueris: experti nunc sumus Gallorum & Venetorum vires longe minores esse, quàm vulgo credebantur: Gallorum potentia, quæ pridem omnibus terrori erat, breui imbecillis apparuit, peditatu indiga: vno impetu Italia pulsi. itaque qui aliena appetebant, de suis nũc cum Hispanis; & Anglis dimicare compelluntur. quod non aliunde est, nisi quòd externo belligerant pedite: & quãuis strenuissimo abundẽt equitatu atque pecunia, verũtamen sine peditatu non est exercitus. Aptissime Epycrates, vir in re militari peritissimus, Pedites manibus similes esse dicebat; & Equites, pedibus. longe autem imbecilliores apparuerunt Veneti homines, imbelles vtroque, scilicet peditatu & equi-*

tatu nisi conductitio. quanam potentia ipsorum censeri potest, quæ tota ab vnius Bartholomæi Albiani fortuna pendebat? qui licet fortissime cum Gallis pugnauerit, & optimi ducis ac strenuissimi militis munia obierit, vno acri prælio superato, omnia Venetorum, præter vrbis mœnia, amissa vidimus; deque ipsis actum fuisset, nisi Iulij II. Pont. Ro. iram turpiter placassent, & per Oratores scilicet, publico decreto ad hoc ipsum destinatos, Pontificis pedibus calcandas ceruices, vniuerso spectante Pop. Ro. suppliciter porrexissent. Quàm breui res Romana cecidisset, si post vnam, alteram, atque alteram ad Tycinum, Trebiam, Trasimenum, & Cannas, memorabiles acceptas clades, nouo & ad manus expedito peditatus & equitatus ciuium delectu, reparari exercitus non valuissent. PHI. *Satis euagati sumus: tempus est receptui canamus. Postquam exemplis lucidatum est insidiosas fore opum delitias, & veneno malo plenas; quas, vt materiem omnium malorum, nemo sapiens, vt Christus ait, concupiuit, superest huius rei causa non ignoretur; quæ licet fortissimis argumentis explicari posit, breuitatis tamen gratia sufficiat Platonis iiij. de Rep. recitasse omnibus probata verba; quæ velim e vestro nūquam defluant pectore, si inter stultos connumerari*

merari fugitis: Constat, inquit, impoßibile esse in ciuitate diuitias honorare simul, & temperantiam poßidere; sed necessarium est ad alterius æstimationem semper alterum negligi. & alio idem loco ait: Quando in ciuitate diuites & diuitiæ honorantur, virtus probiq́; viri despiciuntur: incendũtur ad ea studia omnes, quæ in honore sunt. THE. *Hinc Iesus noster dixit, Facilius Camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. & Hiero. lib. Conuers. Christi: Iustus non est abũdans extraneis facultatibus.* IVR. *Quid audio? diuites ergo beari nequeunt. verumtamen multos legimus viros sanctos locupletes fuisse.* THE. *Quidam diuites sunt auari. opulentiam amare, & illã in pretio non habere est impoßibile; quia Vbi thesaurus tuus, scriptũ est, ibi & cor tuum. nemo potest Deo, & Mamonæ seruire. & de his, qui diuitias in honore habent, Plato loquitur, & Saluator noster Diuites Camelis comparat. Quidam diuites non sunt auari; virtutes suspiciunt ac venerantur: studium tamen sine iniuria cumulandarum opum non negligunt; & hos dicimus non facile saluos fieri; & hi sunt, qui seminant, vt Iesus docet, inter spinas. nam, vti difficile est diuitiarum delinimẽtis non capi, ita non facile ad virtutes Diues accedit. cau-*

ſam Diuus Hiero. Lib. de Conuerſ. Chriſt. diſſerens, ſic loquitur: Fluxu enim rerum, & vbertate copiarum animus ſoluitur, vigor mentis infringitur, virtus corporis eneruatur. Alij vero, qui ſunt liberales, id eſt qui ad vſum virtutis effundũt diuitias, hi beati & Deo ſimiles ſunt: qui vero ad malos vſus erogant, licet largiter, infelices ſunt, prodigi, & gratiæ Dei diſsipatores. Sunt alij, qui non iure proprietatis ſunt diuites, ſed vſu & miniſterio, vt Prælati, Epiſcopi, & reliqui eccleſiaſtici diſpenſatores. ſi panem frangant quibus & quando ius eſt, de liberalitate nequaquam laudantur, ſed de bene adminiſtrata pecunia. ſin ſibi habẽt, aut ſuis delitiis indulgentes impendunt, impiiſsimo ligãtur furto. nam aurum, quod poſsident, eleemoſinarium, & panis pauperum eſt: inter quos æqua diuiſio, non liberalitas eſt, ſed pia diſtributio: quod ſi non fiat, æris alieni & eſurientium panis fraudatio eſt. IVR. *Quid ſi Princeps virtutis ſit expers?* PHI. *Et ſibi & aliis conclamatæ calamitoſæq́ conditionis foret: ſibi, quòd eis vita quam miſera eſt, inquit Plato, & ab omnibus fugienda; in quo anima, qua viuit, per vitium eſt deprauata. idem in Legibus: Si homo Vnus, aut Paucorũ poteſtas voluptati & cupiditati deditum animum habeat, hiſque repleri*

desideret, quãquam id minime assequatur, inexplebili inextinguibilique ardore, & insanabili morbo vexatur. hæc Plato. & non dubium est quod voluptuosis hominibus furor sit læsa paululum voluptas. horum autem causam christianißimis eiusdem verbis explicatam attendite: A superbis, ait, lex diuina respuitur: qui mox, sicut Dei legem derelinquunt, ita deseruntur à Deo. deserti autem & peccant atrocius, & miserabilius cruciantur. latius eadem Mercurius Trismegistus disserit in Pymandro; à quo Platonem didicisse opinor: sic enim loquitur Pymander, id est, Mens diuina: Adsum ego, inquit, his qui boni, pij, puri, religiosi, sanctíque sunt; præsentia mea fero illis opem; adeo vt statim cuncta dinoscant, Patrémque pacatum, propitiúmque habeant. itaque gratias agant, benedicentes pie, & hymnis solennibus collaudantes. concedunt sanè corpus morti suæ; sensuum illecebras fastidiunt, vtpote qui planè diiudicent, quàm lethifera sensuum lenocinia. quin etiam ego ipsa Mens, ianitoris munere fungens, insidiantes insidias corporis haudquaquam permitto finem consequi suum: aditus autem, per quos blanditiæ manare solent, iugiter intercludo, libidinúmque fomites omnes extinguo. contra, ab ignauis, im-

probis,inuidis, iniquis,homicidis,impiis,procul admodum habito, permittens eos Dæmonis vltoris abitrio; qui, ignis acumen incutiens, ſenſus affligit; magíſque ad patranda ſcelera hominem armat, vt, turpioris culpæ reus, acriori ſupplicio ſit obnoxius;eumq́; ſine vlla intermiſſione ad inſatiabiles concupiſcētias inflammat. THE. *Propterea ſupplex precatur Rex Dauid, dicens:Ne derelinquas me Domine,Deus meus; ne diſceſſeris à me: intēde in adiutorium meum Domine,Deus ſalutis meę.& iterum:Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam. Verùm ſi penſiculabimus ſupradicta Triſmegiſti, & Platonis verba,non differunt ab illis Pauli ad Romanos: Sicut non probauerunt,inquit Apoſtolus,Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniūt; repletos omni iniquitate, & malitia; fornicatione, & auaritia;nequitia plenos,inuidiis,homicidiis,contentione,dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum.* HIST. *His verbis mihi videtur Apoſtolus mehercle noſtri temporis mores taxare; qui nihilo meliores cernuntur, quanuis vera Dei cognitio habeatur.* THE. *Accuratius dixeris, haberi poſſit.*

nam Iohannes Apoſt. ad Eccleſias ſcribens, ait: Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. PHI. *Quantum vero aliis peſtilentiores ſint mali Reges, quorum ductu omnes intemperãter degant, vitámque viuant infelicißimam, paulo ante vberrime demõſtratum eſt. bonos & graues viros odio omnino habent; quorum ſanctitate vitæ ſua ipſorum ſcelera coargui intelligunt; quòdque eorũdem virtus mirum inmodum ipſis formidoloſa eſt: & ideo ſolos ſibi ſimiles diligunt. vnde illud: Sub malo Principe boni Ciues eſſe nõ poſſunt.* THE. *Regnantibus impiis, ruinæ populorum; in Prouerbiis.* PHI. *Scite igitur huiuſmodi gubernatio vbique deteſtatur; & tanquam peſtem fugiẽdam exclamat diuinus Plato his verbis: Quippe, inquit, extrema omnia ſubeunda ſunt prius, quàm ſub ea gubernatione viuere, quæ peiores ſolet homines facere.* HIST. *Heu heu, quàm omnis nunc diſſoluta eſt diſciplina: Pudor, fatuitas dicitur; Modeſtia, ruſticitas; Frugalitas, hipocryſis. Apuleius Platonice philoſophans, violatæ profeßionis apud Proconſulem accuſatus proditur, quòd ſpeculum domi habebat, capillo inſordidato incederet, dentifritium cum verſiculis dono amico dediſſet. at Clerus nunc noſter, à quo cæteri diſcunt*

licentiose viuere; quòd ambitiose, delicate, lasciuiter, impudenter victitet; domi amatoriis speculis, concubinis, proliparis, tanta coma non modo calamistrata, verum etiam vnguentata; mollibus nequitiosus vestibus, aut resupinus sica terribilis incedit, non est qui paulululm admoneat.

MARII SALAMONII
DE PRINCIPATV
LIBER IIII.

PHI.

IAM *nedum oculis cernitis, sed etiam manibus ac pedibus vestris palpatis, Principem & pluribus & arctioribus ligari legibus, quàm quiuis alius; & errare illos, qui simpliciter solutum dicunt.* IVR. *Satis mihi isthæc tua quadrant dicta. honestatis magis iure quàm necessitatis, conuenire dicimus tantæ Maiestati suas seruare leges, non autem oportere.* PHI. *Perpende quid loqueris.* IVR. *Satis pēsum, exploratúmque est & mihi, & reliquis Iurisperitis quod loquor.* PHI. *Caue absurdũ.* IVR. *Quomodo absurdũ?* PHI. *Ab-*

ſurdiſsimũ mehercle eſt æſtimare, aliud decere, aliud Principẽ oportere. IVR. *Cur non?* PHI. *Quoniã hoc pacto plus apud Principẽ neceßitas, quàm honeſtas valeret: quod eſt dubio procul ipſa abſurditate abſurdius.* IVR. *Plane quicquid licet non cõtinuo honeſtũ eſſe legimus; paritérq; non quicquid honeſtum eſt, mox facere oportet.* PHI. *Plebeiæ virtutis eſt iſta diſtinctio. & ſapiẽti ab honeſto turpe eſt diſcedere, Principi turpiſsimũ: &, vt plebeiũ, ſic falſum eſt, Quod non omne honeſtũ facere oporteat. ſi vitiũ fugiendũ eſt, honeſtas omnino eſt appetenda: & quicquid honeſtum non eſt, vitio mancipatur. vnde fit, qui honeſtum reſpuit, vitium amplexetur. neque valere illam argumentationem, Si non omne, quod licet, honeſtum eſt, pariter non omne honeſtum facere oportere; quoniam nihil vere honeſtum eſt, quod facere non oporteat: Non omne quod licet honeſtum eſt, is ſermo indicat, aliquid fore licitum, quod honeſtum non ſit; & honeſti tum ratio præualeat. eſto, liceat trãſgredi leges. ſi id idem honeſtum non fuerit, Princeps facere non debet.* THE. *Hinc Apoſtolus: Omnia licent, ait, non omnia expediunt.* IVR. *Quomodo honeſtum non eſt, ſi licet?* PHI. *Licitum, & Honeſtum inter ſe differũt, quòd illud legis reſpicit ſanctionem; honeſtum vero quòd*

naturæ conuenit. IVR. *Nunquid lex minus honesta sancit?* PHI. *Minime: quòd si sanciret, ab omni vi & dignitate legis decideret. tum labes sunt, inquit Cicero, non leges.* THE. *Et Aur. Augustinus ait: Iura non sunt putanda iniqua, vel hominum Constituta.* PHI. *Animaduertite, Lege licere, plurifariam accipitur; quòd, aut quid iubet lex, aut permittit, aut non inhibet. nam quæ iubet aut permittit, semper honesta sint est necesse: quæ honesta non sunt, neque permittere, neque iubere lex potest. Tertium genus liciti creditur, quicquid lege non est inhibitum: quòd si quid honestum non sit, facere est inpermissum; non quia lege inhibitum, sed honestati contrarium est. esto, lege ciuili solutus quis sit, non propterea lege honestatis, quæ validior est, solutus intelligitur. & quod lex ciuilis relaxat, lex honestatis plerunque moderatur, vel inhibet. accedit alia non minus elegãs ratio.* IVR. *Quænam?* PHI. *Princeps Dei locum tenet.* THE. *Propter me Reges regnant, scriptum est. & Saluator noster ad Pilatum: Potestatem in me haberes nullam, nisi datũ esset tibi desuper. hinc Apostolus: Omnis potestas à Deo est; ministri enim Dei sunt in bonum.* PHI. *Sapientes nostri docent, Nihil in Deo indecens esse posse.* THE. *Id idem & nos proba-*

mus. IVR. *Quid tum?* PHI. *Hinc efficitur, indecorũ ſicut in Deo eſſe non poteſt, ſic in Principe, qui vices eius gerit in terris, eſſe non debet.* THE. *Heroica ſane virtute præcellere cæteros oportet eum, qui ſemetipſum vitæ exemplar exhibiturus eſt.* IVR. *Succurrunt iam mihi Iulij Pauli Iuriſcõſulti, & Diui Alexandri verba; quæ, ſimul iuncta, probant manifeſte, Quod non decet fieri non poſſe.* PHI. *Recita, ſi memoria tenes.* IVR. *Teneo. auſculta; Pauli hæc verba: Ex imperfecto teſtamento legata, & fidei commiſſa Imperatorem capere verecundum eſt: Alexandri autem verba, ſunt hæc: Ex imperfecto teſtamento nec Imperatorem hæreditatem vendicare poſſe, ſæpe conſtitutum eſt. ecce quod Paulus Verecundum reſpondit: Diuus Alexander Fieri non poſſe reſcripſit. vtroque autem elegantius Papinianus expreſſit his verbis: Nam, quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, nec facere nos poſſe credendum eſt.* PHI. *Si priuatis impoſſibilia iure veſtro exiſtimantur quæ verecunda ſunt, multo certe plus Principibus ſunt inhibita, in quos omnium conuerſi ſunt oculi: & in ſumma, vt ab initio diſſeruimus, Tyrannidis proprium eſt legũ tranſilire lineas.* IVR. *Princeps ergo ſolutam poteſtatem, quæ vulgo ſup-*

prema potentia dicitur, exercere non potest. PHI. *Aptissime Potētia, & non Potestas vulgo dicitur; quòd illud facti, hoc iuris est nomen. & procliuior sententia est, exercere non posse, quatenus Princeps est, sine iusta causa, nisi Tyrannus haberi malit.* IVR. *Delirant ergo Doctores nostri, dicentes, De summa potentia nihil excipi.* PHI. *Non delirant; quoniam Tyrannidi nihil nefarium, nihil illicitum est.* IVR. *De vero Principe loquuntur.* PHI. *Vehementer errant: propter hoc enim Princeps suscipitur, vt legum sit custos, non autem violator.* IVR. *Papa ista ratione derogare neque scripto, neque moribus recepto iuri posset; quod Canonistæ Dispensare dicunt.* PHI. *Vestra est hæc messis, viri sapientissimi.* IVR. *Nostra profecto est. tu, sanctorum antistes, quid censes?* THE. *Censeo, vt præ cæteris Papæ admirabilior est potestas, sic ipse circumspectior esse debet. sane viuēs virtutis simulacrum & esse, & videri conuenit. in edito sublimatur, vt conspicuus sua luce luceat omnibus: eóque minus sibi licere intelligat, quòd nullum eius factum, dictum, ac cogitatum latere potest: non vnum sed mille Argos habet suarum actionum obseruatores, atque præcones: quíque, vt sanctissimi Gregorij in Iob verbis vtar, hominibus non præesse, sed prodesse lætari*

debet: quique non quæ sua sunt quærat, sed quæ Christi, curet atque conficiat; quod est, non opes non regna, non honores, sed solam animarum salutem: hæcq; causa Dispensationis sit negandæ, vel concedendæ. IVR. *Panormitanus Dissipationem, non dispensationem vocitat, quæ sine iusta causa indulgetur. obseruate obsecro Vlpiani ad hanc rem verba: In rebus, inquit, nouis constituendis euidens vtilitas esse debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum fuit visum.* PHI. *Vlpiani sunt verba isthæc?* IVR. *Ipsiusmet.* PHI. *Quo loci?* IVR. *In libris Digestorum, de Cõstitutionibus Principum.* PHI. *Ergo de cõstituendis à Principe loquitur?* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Et illa verba, Euidens vtilitas, num de publica, an ipsiusmet Principis intelligitis?* IVR. *Publica. s. populi.* PHI. *Item; Euidẽs, nũquid vera & omnibus manifesta, an verbis adumbrata; vt illa pro annonariis Ripæ?* IVR. *Vt omnibꝰ liquido palã pateat.* THE. *Quid tu vir sapientissime censeas, à te intelligere desideramus.* PHI. *De Sum. Pont. vestra est discussio, vt pauloante dixi: de quo verecunde semper, ac reuerẽter loquor. conuenire tamen videmini, omnino quibusdam rationis retinaculis cohiberi. de reliquis Principibus intrepide sentio, sine iustiori causa de via cedere non vale-*

re. IVR. *Quid si excessisset?* PHI. *Tyrannum agit.* THE. *Et Papa, quanuis à nemine propter hoc iudicari queat, diuinum tamen iudicium non subterfugiet.* IVR. *Vt quid igitur talis libera & soluta potestas? vẽtosa (me Deus) isto modo magis ambitio mihi videtur, postquã vere semper, & vbique libera non est.* PHI. *Atqui perutilis ac necessaria est. cuius vsus, & non abusus, probatur; nec aliunde pendet, quàm Principatus ipse, quem ad populor. commoda institutum constat. huius rei causa ea proditur: Vt non imaginari, ita nec scriptis legibus omnes casus comprehendi possunt. & propterea Arist. & alij Rerump. scriptores, Magistratus quosdam in Ciuitate creandos monẽt cum summo imperio, qui vel legum interpretatione, vel noua sanctione his quæ accidunt, suppleant, ac statuant. derogat itaque vetustis legibus solus Princeps: supplet, variat ex natura rerum, morum temporum ac casuum vicißitudine, vbicũque euidẽs vtilitas postulat.* IVR. *Diuus Iustinianus in Oratione De veteri iure ad Senatum, sic concionatus est:* Ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, vt poßit omnia quæ nouiter contingunt & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere.

MARII SALAMONII DE PRINCIPATV

LIBER V.

PHI.

ABVNDE, *ni fallor, discussa sunt omnia, quantum ratiocinando assequi potuimus.* IVR. *Ita mihi persuadeo.* PHI. *Solum superest dispiciamus, Nunquid Princeps Romanus vere solutus vnquam fuerit: &, An in dominum susceptus; vt vulgo creditur. quæ ad historiam pertinere dicebamus. Igitur si placet Historicum nostrum compellamus. non enim inconuenit, hæc quæ disputamus historiarum commemoratione illustrari.* THE. *Operæpretium est.* PHI. *Tuum nunc est, vir diligentissime, initia ac causas Principatuum differere.* HIST. *Exterarum omnium gentium, an nostratium solum? exordiar, si vultis, à primis Regibus, per singulas nationes ac temporum vices decurrens.* PHI. *Longa nimis isthæc atque impertinens recitatio, postquam de Romano inter nos Principe agitur.* IVR. *Locupletissimus huiusce rei auctor apud nos Pomponius est in*

Origine iuris. icirco aliunde petere ſuperuacuum foret: ſi placet eius verba in medium adducam. PHI. *Haud hercle maioribus auctoribus hæc res diſcerni poteſt, quàm hiſdem, quibus cum omnis de Principe contentio eſt.* IVR. *Quemadmodum ad Senatum, deinde ad Principem delata Reſp. fuerit, Pomponius his verbis explicat: Quia difficile plebs conuenire cœpit, populus certe multo difficilius. in tanta hominum turba neceſsitas ipſa curam Reip. ad Senatum deduxit. ita cœpit Senatus ſe interponere; & quicquid Senatus conſtituiſſet, obſeruabatur; idque Ius appellabatur S.C. Nouiſsime, ſicut ad pauciores viros iuris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur, per partes euenit, vt neceſſe eſſet Reip. per Vnum cõſuli. nam Senatus non omnes prouincias probe gerere poterat. igitur, conſtituto Principe, datum eſt ei proprium ius, vt quòd conſtituiſſet ratum eſſet.* HIST. *Ecce, apertiſsimo tui Pomponij teſtimonio, quòd non in Domini, neque ipſius Principis gratiam. i. propter ipſum Principem, ſed propter Remp. quamoptime adminiſtrandam, Principatus conſtitutus fuit. difficilis numeroſi populi coitio rem ad pauciores. i. ſeniores detulit; eadémque difficultas ſæpius cogendi Senatũ, Imperio iam propagato, nego-*

ciis vndique confluentibus, Principatum inuenit. benegerendæ ergo Reip. primum gratia, Senatus, id est Optimatū gubernatio suscepta est. commodioris postea administrationis, additus Vnius hominis principatus. per vnum Consuli reip. ait, non autem Dominari. sic etiam Coss. quòd reip. bene consulerẽt, sunt appellati. PHI. *Item ait: Constituto Principe, datum est ei proprium ius, vt quod constituisset ratum esset. considerastis his verbis, prius creatum Principem, deinde potestatem iuris constituendi datam? & sic, nisi data fuisset, iure principatus minime competiisset, vt paulo ante dicebam. additúmque Quod ratum esset, quasi non satis sit potestatem constituendi leges fieri, nisi specialiter caueatur, ratum futurum.* IVR. *Indicant itidem Vlpiani verba, dicentis: Augusta, licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet. ergo non iure Principatus, sed priuilegij. Diuus Alexander rescripsit: Nihil tam proprium imperij esse, quàm legibus viuere. ergo imperij improprium esset, suo arbitrio viuere.* HIST. *Animaduertistin' quid sibi velint eiusdem Pomponij verba? illa, Nam Senatus nõ omnes prouincias probe gerere poterat. igitur, cõstituto Principe &c.* IVR. *Non vtique quanuis verborum sensus*

minime ſit ambiguus. aueo igitur quid ſentias, diſcere. HIST. *Recte dicis, in aperto ſenſum eſſe; quòd Princeps, Senatui iunctus, ad prouinciales res potius, quàm vrbicas, aut Italicas administrandas; & prouincialium non omnium, ſed limitarium.* IVR. *Quid audio? Diuus Antoninus apud nos ſe mundi dominum iactat; & portiunculæ tu miniſtrum facis.* HIST. *Mundi, non Vrbis, dixit.* IVR. *Aut iocaris, aut ineptis, quaſi vrbs extra orbem ſit, quòd eius amplexu minime contineatur.* HIST. *Complectitur orbis ambitu, non autem Antonini verbis; qui pro populo Romano loquebatur, creditúmque ſibi Imperium in orbem exercebat, pro vrbe quidem orbis dominus cura & ſollicitudine; nec alia mens populi Romani fuit, vt teſtimonio Pomponij tui iam iam cognouimus. Vox Domini in vrbe ſemper infeſtiſſima. nam veluti Pater non eſt ſine filio, ita Dominus non eſt ſine ſeruo. ſi Princeps vrbis dominus, proculdubio Pop. Romanus Principis ſui eſſet ſeruus.* THE. *Sanctiſſimus Gregorius in Epiſtolis ſcribit, differre Ro. Principem à cæteris, quòd ſolus Princeps eſt populi liberi.* IVR. *Conſtantinus ergo inutiliter Vrbem cum Italia & Occidenti beatiſſimo Silueſtro dono dediſſet.* HIST. *Vtrum donauerit, quanuis haud certis conſtet auctoribus*

ctoribus, variæ fortunæ visa est inquisitio. Laurentius Valla, sine controuersia vir doctissimus, quòd Constantinianam negauerit donationem, parum abfuit quin inter hæreticos relatus fuerit: Syluium vero Æneam, post eum qui fortissime contra eandem donationem scripsit, neque vnquã retractauit; Pium ij. inter Pōt. Maximũ omnium consensu approbatum vidimus. nos latet quæ sors futura sit nobis. taceamus ergo, ne in aliquod discrimen incidamus. IVR. *Edissere audacter. Ecclesia Romana gaudet veritate fabulosis adnotationibus inimica.* HIST. *Missa isthæc obsecro faciamus, vt à nostra disputatione aliena. verum quid diuus Hieronimus de Flauio Constantino, qui primus Romanorum Patris maximi cognomine honestatus est, chronicis Eusebianis adiecerit, admirari me cogit: Constantinus, inquit, extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arrianum dogma declinauit; & quum bellum pararet in Persas, in Acirone villa publica iuxta Nicomediam moritur, anno ætatis suæ* LXVI. *hæc sanctissimi Hieronimi parum conuenire videntur cum scriptis Paleæ. Constantini filij, Constantinus, Constans, & Constantius, ex Cæsaribus Augusti appellati sunt. Imperium inter se partiti, Constantino obuenerunt partes*

Galliæ, Hiſpaniæ, Alpes Gotiæ, Britanniæ, Orcades, Hybernia, Tylæ: Conſtanti, Italia, Affrica cum inſulis, Illyricũ, Macedonia, Achaia, Peloponneſus, Græcia: Conſtantio Oriens, & Thracia; cuius caput Conſtantinopolis. ſi Italia cum vniuerſo Occidenti Eccleſiæ facta erat, quomodo inter ſe Cōſtātini liberi iure hæreditario diuiſerunt? Conſtantinus illa quidem donatione pius; eius vero liberi impiiſsimi; & quot poſt eum Principes extiterunt: & imprimis veſter religioſiſsimus Iuſtinianus legifer, xiiij à Conſtantino, quòd illius donationis temeratores ſeſe præbuerunt. cuncti ſanè Romæ, & in Italia, atq; per vniuerſum Occidentem imperioſiſsime regnauerunt. Hiſpanias non ante amiſimus, quàm ſub Heraclio, xix à Conſtantino Imperatore, eripiētibus Gothis, anno Salutis D. C. X X X V. *ſedente Seuerino Pont. Max. Quid tam vetera? multas adhuc Italiæ ciuitates parere Cæſari videmus, & amiſſas multas. Verùm, dic Iuriſconſultiſsime, Valēt in alienos populos leges?* IVR. *Quid rogas?* HIST. *Hoc ipſum rogo; reſponde.* IVR. *Stultiſsimi eſt hoc quærere.* HIST. *Reſponde obſecro: & grauiſsimi ac ſapientiſsimi forte efficiam.* IVR. *Cedo; non magis me hercle valent, quàm ſeruorum in dominos: quid tum?* HIST. *Iſta ratione inanes & ſtulti ap-*

parent omnes ſudores tui, vigiliæ, & lucubrationes, quas in Iuſtinianas impendis leges; quòd latæ appareant ab eo, & aliis poſt Cōſtantinum, qui nullum ius, teſte Palea, in Vrbe, Italia, ac Occidentalibus populis obtinebant. IVR. *Nimis, me Deus, vrgent iſta quæ loqueris. explorati iuris eſt, ditionis Eccleſiaſticæ populos ſolo Pontificio ligari iure. Iuriſditionis quippe vitium nimis nimiũ vbique & ſemper eſt. nihilominus perge quod cæperas de limitari Cæſarũ Imperio recẽſere.* HIST. *Afferãtur geographiæ Strabonis Cappadocis libri.* IVR. *Ecce.* HIST. *Volue, & quære vltimũ librũ.* IVR. *Ecce, xvij eſt, continẽs deſcriptionem Lybiæ, & earum regionum, quæ circa Nilum ſunt; Romanis remota ſatis loca.* HIST. *Reuolue. in calce libri ſcripta quæro: lege hos verſiculos.* IVR. *Tuum eſt, qui iſto Auctore ſuperbis.* HIST. *Parebo. tu ſingula perpende verba: Cæſar Auguſtus, quum Patria ei totius Imperij patrociniũ permiſerit, & pacis & belli, quandiu viueret, poteſtatẽ haberet, totũ Imperiũ bifariã diuiſit. nam partẽ ſibi aſciuit, partẽ populo dedit; ac ſibi quidem quæcunque præſidio militum indiget: ea eſt regio barbara, & gentibus nondum ſubactis finitima; ſterilis ſanè, & cultu difficilis; vt, propter cæterarum rerum inopiam, & copiam munitionum, iugum de-*

trectent. populo reliquam conceßit, quæ pacata est, & facile sine armis retineretur. vtramque portionem in Prouincias diuisit: quarum aliæ Cæsaris, aliæ Populi dicuntur. in suas præfecturas Cæsar ipse administratores mittit. & alio tempore aliter partitur regiones: & vt res postulat, ita versatur. In populi prouincias Populus Imperatores, vel Coss. mittit. sed hæ quoque in diuisiones alias deducuntur, prout vsus postulauerit. in initio tamen duas Consulares fecit, Lybiam .s. quæ Romanis paret, ea duntaxat excepta, quæ prius sub Iuba fuit; nunc vero sub Ptolemæo est illius filio: & Asiam cis Alim, & montem Taurum, Galatis exceptis, & gentibus quæ sub Amyntha fuerunt: præterea etiam Bythiniam & Propontidem. præfecturas vero decem, in Europa quidem & adiacentibus insulis ea scilicet, quæ vlterior Hyberia circa Bethim flumen est, & Attacen; &, ex Celtica, Narbonensem; tertiam, Sardiniam cum Cyrno; quartam, Siciliam; quintam, Illyrij partem, quæ ad Epyrum vergit; sextam, Macedoniam; septimam, Achaiā vsque in Thessaliam, & Etholiam, & Acharnaniam; & nōnullas Epyri gentes, quæ Macedoniæ sunt contermine; octauam, Creten cum Cyrenaica; nonam, Cyprum; decimam, Bythiniam cum Propontide & quibus-

dam Ponti partibus. Cæteras Cæsar prouincias habet, in quarum alias procuratores mittit Cõsulares viros; in alias, homines ex equestri ordine: Reges vero, & Principes, & Decarchæ eius portionis sunt, ac semper fuere. Iam perspicitis quomodo Imperij Romani patrociniū quo ad viueret suscepit Augustus; nec omnes prouincias gessit, sed illas solum, quæ hostibus finitimæ, quæque sine militum præsidio defendi nequibant: quæ vero pacate regi sine armis poterant, ab ipso Populo Romano administrabātur. THE. *Perspicio sane, & persuasu difficilia mihi forent ista, nisi cum Pomponij nostri scriptis conuenirent; qui ad gerendas, quas Senatus gerere non poterat, prouincias, Principem constitutum tradit.* HIST. *Non ergo in dominos, sed defensores, Augustos sibi fecit Populus Romanus: sempérque imperium populi Romani mansit, non Cæsarum. Credo nos aliquando vidisse Diui Seueri triumphalem arcum marmoreum, qui adhuc integer extat in radicibus Capitolij, in ea parte, quæ Palatium spectat; vbi post titulos & gloriose res gestas, scriptum legitur,* OB IMPERIVM POPVLI ROMANI PROPAGATVM. *Si Imperium Seueri extitisset, Populi Romani, scriptum non esset.* PHI. *Dic age, iuris antistes, siquid ha-*

bes amplius pro Rom. Principe. IVR. *Habeo adhuc quædam Vlpiani verba.* PHI. *Recita, si placet* IVR. *Hæc sunt. Quod Principi placuit, legis habet vigorem; vtpote lege regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concessit.* PHI. *Non dicit Legibus solutum. excutiamus, Omne Imperium suum, nonne accipitis suiipsius populi?* IVR. *Vtique.* PHI. *Et, in seipsum, vel in alios?* IVR. *Profecto.* PHI. *Potuit in Principem plus iuris contulisse, quàm ipse in semetipsum haberet populus?* IVR. *Minime.* PHI. *Vbinam hominum quispiam est, qui suiipsius sit dominus ac seruus?* IVR. *Nullibi.* PHI. *Si neque homo, neq; populus suiipsius est dominus ac seruus, pari ratione nec in seipsum quis habet imperium.* IVR. *Proculdubio.* PHI. *Ergo aliud imperium in Principem, quàm dominium, transtulisse necesse est.* IVR. *Videtur.* PHI. *Non dominus propterea Princeps, sed minister potius. natura contraria sunt Dominatio, & Principatus. hinc in Panegyrico Secundus. de Traiano dixit: Sedémque obtinet Principis, ne sit Domino locus. & de Diuo Nerua idem: Non enim seruulis tuis Dominũ, sed Principem ciuibus daturum.* IVR. *Quid amplius dicam nescio.* PHI. *Præterea, Quod*

Principi placuit legis habet rigorem, Vlpianus ait: quia lege regia populus omne ſuum imperium tranſtulit. dic Amice, Placere verbum, in bonam, vel in malam partem capitis? IVR. *Apertius diſſere.* PHI. *Vtrum licentioſum, an non licentioſum Placitum dicitis?* IVR. *Placere verbum receptum eſt boni viri arbitrio; ſed in Principe latius vſurpatur.* PHI. *Ergo Principis placitum mali viri placitum intelligitis?* IVR. *Cauillaris.* PHI. *Vera loquor. inter bonum & non bonũ virum non eſt medium; veluti inter virtutem & vitium. aut ergo populus imperium tranſtulit in Principem vt malum virum, & abſurdißimam rem dicitis; aut, vt placitis boni viri vteretur, & conſequens eſt, vti boni viri non eſt legem tranſgredi ſine iuſta cauſa, ſic à Principe publicæ vtilitatis cauſa imperium collatum boni viri placito exercẽdum, & eo modo, quo in ſeipſum ipſemet Populus vteretur exercerétque. Poſtremo, in quem ſenſum accipitis illa verba, Omne imperium ac poteſtatem? an ita, quod populus nihil ſibi reliqui fecerit? an quod parem cum populo poteſtatem legibus ferendis Princeps exerceret?* IVR. *Procliuior ſententia eſt, quod nihil ſibi reliqui fecerit populus. ſiquidem parem poteſtatem retinuiſſet, nullum imperium ſuper populũ*

obtinuisset Princeps. PHI. *In quæstionem reuocas quod exacte inter nos discussum constitit, si tibi non excidit, Vniuersum simul populum suo Principe potiorem, in singulos vero ciues ditionem habere ratio non consentit: Ro. populum spõte se imperio abdicasse scio inter vos non ambigi: Senatum ius facere potuisse, quod S. C. dicebatur.* IVR. *Et crimine capitali damnatos restituere, & Plebs plebiscita, & suas Populus vniuersus leges, imperitantibus adhuc Principibus; quarum multæ inter manus versantur, religiosissiméque obseruantur.* HIST. *Q. Septimius Tertullianus meminit, Tiberium Augustum retulisse ad Senatum, & cum prærogatiua suffragij sui censuisse, vt pro Deo Christus coleretur; Senatum vero non modo vetuisse, sed Christianorũ accusatoribus præmia proposuisse. Nero, à Senatu hostis iudicatus, more maiorum puniendus; id est nudi hominis ceruicem inseri furcæ; & corpus virgis ad necem cædi. Consideratis ergo, ex Senatus auctoritate, quanta totius populi fuerit.* PHI. *Seruientis ædepol populi non sunt ista.* IVR. *Vnum, vel alterum exemplum adduxisse nihil est. postquam ad nutum Cæsarum acta omnia non ignoramus, veteres abrogatas leges, nouas inductas, magistratus contra maiorum mores datos & ablatos, in*

Senatores Equitésque passim sæuitum, proscriptúmque. PHI. *Vis est ista: de Principatu, non de Tyrannide disceptamus.* THE. *Vera narrat noster Sapiens.* IVR. *Cōstitítque illa inter Doctores nostros sententia, quod Princeps potuisset iusta causa à populo Romano magistratu abdicari. & egregie Baldus noster in libris Responsorum, Imperator, inquit, potest supremum imperium alteri communicare; & communicando nihil à se abdicat; quia imperij honorem, vt maiestatem, nō potest in alium transferre, quin ipse remaneat superior. hæc Baldus; quæ Caccialupus commendat. sic ergo Pop. Romanus communicauit Principi Imperium.*

MARII SALAMONII

DE PRINCIPATV

LIBER VI.

HIST.

TEMPVS *est ad Legem regiam redeamus; de qua sæpissime inter nos mentio facta est; & ne vnum quidem eiusdē Legis adhuc verbum audire quiui: cuius commemoratione blandiri potius ipsis Princi-*

pibus videmini. asseueratis enim ea legibus solutum Principem: nec quisquam vestrum est, qui Legem regiam legerit, audiueritue. IVR. *Satis est nobis locupletissimũ Vlpiani testimonium.* HIST. *Dic, cõsultissime, legem regiam, vnam vel plures, & quando latã dicitis?* IVR. *Vnam; &, quando primùm Principatus constitutus proditur.* HIST. *Ergo ab initio lata de Imperio omnium, quotquot futuri essent.* IVR. *Exploratum habemus. & hinc est, quod Iustinianus Imperator Vlpiani verba, dicentis, Principem solutũ legibus, digeßit in leges.* HIST. *Quid si non vna omnibus Imperatoribus lex fuit, sed singulis Principibus haud hisdem conditionibus renouari consueuit?* IVR. *Fugit hoc nos.* HIST. *Non mirum, vt in multis, sic in hac re, rerum gestarum incuria vos falli. Tabula ænea, quæ adhuc in Lateranensi Basilica pendet, singulis Principibus, ex arbitrio Po. Romani, legem regiam variari cõsueuisse arguit. pars est enim legis regiæ de imperio Vespasiani, quæ superuacua fuisset, si ab initio Principatus pro omnibus in perpetuum successoribus lex lata fuisset. eius verba sunt hæc:*

Foedusue cum quibus volet facere, ita vti licuit Diuo Augusto, Tib. Iulio Cæsari Aug. Tyberióq;, Claudio, Iulio Cæsari Aug. Germanico.

Vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere Senatusconsulta per relationem, discessionemque facere liceat, vti licuit Diuo Augusto, Tyberio, Iulio Cæsari Augusto, Tyberio, Claudio Cæsari Augusto Germanico.

Vtique quom ex volũtate auctoritateue, iussu mandatuue eius, præsenteue eo Senatus habebitur, omniũ rerũ ius perinde habeatur, seruetur, ac si e lege Senatus edictus esset, habereturque.

Vtiq; Coss. Magistratus potestatẽ, imperium, curationẽue cuius rei petẽtes Senatui, Populoq. R. commendauerit, quibusue suffragationem suam dederit, promiserit, eorum Comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur.

Vtique ei fines pomærij proferre, promouere, cum e rep. censebit esse, liceat, vti licuit Tyberio, Claudio Cæsari Augusto Germanico.

Vtiq; quæcũq; ex vsu reip. maiestate diuinar. humanar. publicar. priuatarumque rerum esse censebit, ea agere facere ius potestasque sit, ita vti Diuo Aug. Tyberioque, Iulio Cæsari Aug. Tyberioque, Claudio Aug. Germanico fuit.

Vtique quibus legibus, plebisue scitis scriptũ fuit, ne Diuus Augustus, Tyberiusue, Iulius Cæs. Aug. Tyberiusq;, Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur, his legibus plebisque scitis, Imp. Cæs. Aug. Vespasianus solutus sit: quæq; ex quaq;

lege, rogatione, Diuum Aug. Tyberiumue, Iulium Cæsarem Aug. Tyberiumue, Claudiũ Cæs. Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæsari Vespasiano Aug. facere liceat.

Vtique quæ ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Cæsare Vespasiano Augusto, iussu, mandatuue eius a quoque sunt, ea perinde iusta rata sint, ac si populi plebisue iussu acta essent.

SANCTIO. *Siquis huiusce legis ergo aduersus leges, rogationes, plebisue scita, senatusue consulta fecit, feceritue, siue quod cum ex lege, rogatione, plebisue scito, senatusue consulto facere oportebit, non fecerit, huius legis ergo id ei ne fraudi esto, neue quid ob eam rem populo dare debeto, neue de ea re cui, actioneue iudicatio esto, neue quis de ea re apud eum agi sinito.*

PHI. *Obseruastis, viri sapientissimi, singula huiusce legis verba? nihil ædepol potuit adduci, quod apertius quæ de Prĩcipatu pauloante cõstituimus lucidaret confirmaretq;. Vltima tabula est legis de imperio D. Vespasiani. quod si omnes alias, vti hanc, ad nos transmisisset vorax vetustas, singuli proculdubio quæstionum de Principatu nodi facile soluerentur. Hæc primum indicat, non vnam pro omnibus Imp. legem regiam latam, vt Historicus noster vere asserebat,*

ſed ſingulis Principibus ſingulas neceſſarias fuiſſe; conditiones, quibus Principatus à Pop. Rom. deferebatur, continentes. nam Diuo Veſpaſiano apparet pomœrij proferendi cõceſſa poteſtas, vti Germanico data; non autẽ aliis Principibus. & penultimo Capite, dum ait: Quæque ex quaque lege, rogatione, Diuum Aug. Tyberiumue, Iulium Cæſ. Aug. Tyberiumue, Claud. Cæſ. Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæſ. Veſpaſiano facere liceat, latior poteſtas Veſpaſiano data, quàm ſupra nominatis Imp. quòd quædam eos facere oportuit, quæ Veſpaſianum lege facere non oportebat.

Item illis verbis: Vtique quibus legibus, plebiſue ſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Aug. Tyberiuſue, Iul. Cæſ. Aug. Tyberiuſue, Claudius Aug. Germanicus tenerentur, his legibus plebiſue ſcitis Imp. Cæſar Aug. Veſpaſianus ſolutus ſit, liquet, non omnibus ſolutum legibus Veſpaſianum, neque qui ante eum Imp. extiterunt. Rurſus, ex Capite, vbi ait: Vtique quæcunque ex vſu reip. maieſtate & cæt. conſtat, non ſimpliciter liberam rerum adminiſtrationem demandatam, ſed eam ſolum, quæ ex vſu, id eſt vtilitate & maieſtate reip. eſſet. vnde deducitur, quod ea, quæ ex vtilitate & maieſtate publica non eſſent, ius & poteſtas faciendi non

esset. Ex vltimo Capite in perspicuo ponitur superior illa populi potestas ac maior ipso Principatu, de qua me differentem irridere videbamini. Quomodo ergo Vlpianus; legibus solutum Principem dicit? IVR. *Non dixit Omnibus: certe multis solutum non dubitatur, vt, omnium solennium Iuris obseruatione. Diuus Alexãder, rescribendo, ait: Lex imperij solẽnibus Iuris Imperatorem soluit.* HIST. *Forte de suo Alexandro loquitur Vlpianus; cuius protutor, & magnus consiliarius fuit. potuit enim, lege de suo Imper. ob insignes eius virtutes à populo R. mereri, vt nulla teneretur lege.* PHI. *Non iniuria: quoniam Temperatis viris Deus lex est, inquit Plato.* THE. *Aduesperascit, viri disertissimi. finem velim imponamus, tametsi prius me fatigatum sentiam, quàm satiatum his sermonibus.* HIST. *Cadentibus vmbris, velimus nolimus, noster intercipitur sermo. in aliam differamus diem.* THE. *Nihil non abunde trutinatum video.* IVR. *Et plene, & ingenue.* PHI. *Cedo, abeamus: & interim vobiscum ruminate siquid excidit, aut non bene dictum fuerit. Tumultuaria disputatio nostra grauiori censura castiganda subiiciatur. His dictis B. P. disputationi finis impositus est. perfeci quod promiseram; nisi verecundius dixerim, faciebam;*

more illorum ſapientum, qui ſcite arbitrati ſunt imbecillitatis humanæ facere, non perficere. ſcio tamen non defuturos qui ſtudio obtrectationis aliena inſectantur. indulgeant ſane, vt lubet, ſuo ipſorum genio. ſatis eſt Mario, à te non reiici, in tutelámque ſuſcipi, qui ex bono & æquo ſingula perpendis. Vale feliciſſime, diutiſſime.

ERRATA.

Pag.2;lin.12.aut poſt Duxit deeſt aliquid; aut legendum; adhibere, perſonas.27.14.. impoſſibile. THE. vt dicebat Chryſ. 29. 11. & ciuitas, æque, geritur. vt quid &c.48,11. & arguto ingenio.

53.14.dele, Contra vniuerſam Remp. Illorum, pro Venetor. repoſueram, vt idipſum ſaltem tectius diceretur.

60,3.diuus Mero'; ita erat impreſſum; itaq. legendum eſt. Meronem vocat Claud. Neronem per deriſum quendam. nam facete olim de illo Caldius Biberius Mero. Adnotauerat Ant. Vacca, I. C.

62,11.Communi veſtram. Vidi poſtea non ſenſu ſolum, ſed & forma ſcribendi, qua vtimur interdum, legẽdum eſſe, Contra naturam.

64,14.recederent.70,16. curam habendam ei, quæ re vera ciuitas. 72,13.appellant, fortaſſe leg. 75, 4. tribuitur.

86, 8. contta rationes, cum ratione apparet & explorate, legi debere; non Contrarius, vt erat impreſſum.

93, 11.ſub diuo, legebatur. dio, repoſuerunt. 96, 11. vt Criſpus ait. 108, 5. ventoſa magis ambitio mihi videtur. 112, 5. poſt Adminiſtrandas videtur deeſſe; ſit conſtitutus, aut tale quippiam.

Sunt prætereà alia quædam peſſime affecta loca; quor. curatio, & paginæ huius & temporis anguſtiis excluſi, reiiciemus in aliam editionem: ſummaque ope enitemur, vt omnes vndique quotquot erũt reliquiæ non bonæ valetudinis, plena tandem, vt ille ait, ſanitate limentur.

QVAEDAM AD HOS DE PRINCIP. LIBROS ADDITA.

PAGINA 7, li. 6. *Ab impuro, quia infensus est Deo &c.* nāq; ab indigno libata munera nō sunt iocūda, teste coma Beronicea; nullamq; habent vtilitatē, vt perhibet Soph. in Medea: κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.

35, 17. Et *quando quid natura melius &c.* Videtur ex illis Saluatoris nostri verbis desumpta ratio: Quia Pater maior me est. Vniui. n. vos mihi, inquit Leo Magnus in iij. de Pentec. & factus sum filius hominis, vt vos filij Dei esse possitis. vnde licet vnus in vtroq; sim, tamē quo vobis cōformor, Patre sum minor: quod autē à Patre non diuidor etiā meipso sum maior. B. Greg. in Præf. Iob: Hinc est quod Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur. Angelus videlicet propter hoc quod exterius loquendo seruiebat: Dominus quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat.

42. 1. *Congruentia autem media &c.* Symmachus in 1. Ep. Omnium beneficiorū quæ tribuit potior fortuna subiectis, certa sunt tempora. solæ leges, quæ in bonum commune procedunt, nunquam patiuntur occasum.

49, 17. *Iustum esse quicquid potentiori suo Principi placet.* Aeschylus: καὶ παρ' ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων Ζεύς. Demosth. ὁρῶ γὰρ ἅπαντας πρὸς τὴν παροῦσαν δύναμιν, καὶ τῶν δικαίων ἀξιουμένους.

51, 7. *Quam vero necessarium sit studium obseruandæ Religionis.* ideo Theod. Rex Iudæis in principio cuiusdam Epistolæ: Sicut exorati iustum cupimus præbere consensum, ita per nostra beneficia fraudes fieri legib. non amamus, in ea parte præcipue in qua diuinæ reuerētiæ credimus interesse. Sed in extremo ita concludit: Damus siquidem permissum, sed errantium votum laudabiliter improbamus: Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur vt credat inuitus. Quam sentētiam hausisse videtur ex Apolog. Tertulliani.

Beatus Ambrosius in Epistolis: De negociis ciuilibus siquid statuitur, nemo putat esse temerādum: & præceptum de religione calcatur? Nihil maius est religione.

56, 5. *In reb. nouis constituendis.* nam non fieri sine periculo rerum innouationes sapienter docuit Arist. Vnde Philo Iudæus in extremo de Abrahamo libro dicebat: Senior & primus vir bonus dicendus est: omnis autem malus, extremus & nouissimus, vt nouator & tractans res extremi ordinis. Hinc semper Nouæ res, in malam partem. & Tacit: Noua, ambigua, ancipitia. Adde Machiauellum nostrum in iij. lib. cap. v.

57, 12. *Principes solum ad commoda populor.* Plinius secundus: O nouum atq. inauditū ad principatum iter: non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit.

73, 6. *Vt discant bene agere.* sicut vetustissimi mortalium, inquit Tac. qui, vt nulla adhuc mala libidine sine probro, scelere, eoq. sine pœnā, aut

coercitionib.agebant,neq.Præmij opus erat,cum honesta suopte ingenio peterentur; &, vbi nihil contra morem cuperent, nihil per Metum vetabantur.

14.*Qui statim constituunt &c.* Non absurde Clemens ille centurio apud Tac. in I. An præmia sub Dominis,pœnas sine arbitro esse?

75, 5. *Quod nulla Fisci causa &c.* Plin.in Paneg. Eodem foro vtuntur Principatus & Libertas.quæ præcipua tua gloria est,sæpius vincitur Fiscus, cuius mala causa nusquam est, nisi sub bono Principe. Vnde Cassiodorus in Epist.Quapropter fit interdũ,causa mala Fisci, vt bonus Princeps esse videatur.

13.*Exemplum appellant &c.*quod pertinet ad vtilitatem publicam. Tac. in xv. Vnde,quanquam aduersus sontes & nouissima exempla meritos, miseratio oriebatur,tanquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur. & in xiiij. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum,quod contra singulos vtilitate publica rependitur.

76,15. *Dum dominari magis, quàm consulere.* Tacitus in iij. Tum Gn. Pompeius, iij Cos. corrigendis morib. delectus, & grauior remediis, quàm delicta erant, suarumq. legum auctor idem, ac subuersor, quæ armis tuebatur armis amisit. exin cõtinua per xx.annos discordia:non mos,nõ ius.

78,4.*Quasi commeantib. gratũ &c.* Scelera ostẽdi oportet dũ puniũtur,ait Tac. De morib. Germ. Flagitia abscondi debent: vt fit hodie in hæreticorum mortibus apud Venetos.

5. *Non sic maiores nostri.* Tac. in xiiij. Pætus Thrasea multo cum honore Cæsaris, non quicquid nocens reus pati meretur, id egregio sub Principe, & nulla necessitate obstricto Senatu, statuendum disseruit: carnificem, & laqueum pridem abolita: & esse pœnas legib. constitutas, quib. sine Iudicum sæuitia, & temporum infamia, supplicia decernerentur. & in iij, M. Lepidus: Si P. C. vnum id spectamus, quàm nefaria voce Clutorius Priscus mentem suam & aures hominum polluerit, neque carcer, neque laqueus, neque seruiles quidem cruciatus in eum suffecerint. sin flagitia & facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis Principis moderatio, Maiorumq. & vestra exempla temperant. & vana à scelestis, dicta à maleficiis differunt. est locus sententiæ, per quam neq. huic delictum impune sit, & nos clementiæ simul ac seueritatis non pœniteat.

80,13. *Nihil differunt ab Histrionib.* ex Hippocrate sumpta similitudo.

81,8. *Eleganter ergo iunior Plinius.* Et eius quoq. familiaris, & meus, dicit in iij: Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu, victuq. Obsequium inde in Principem, & æmulandi amor validior quàm Pœna ex legibus, & Metus. Adde quod Nicolaus Machiauellus noster docet in Cap. xxix.

84. 5. *Ad hæc Aur. Augustinus.* & Cicero: Negligere quod de se quisq. dicat, non arrogantis modo est, sed etiam dissoluti.

89,4. *Quod si in pretio census habeat &c.* Theod. Rex. in I. Indigentiam iuste fugimus, quæ sua-

det excessus, dum perniciosa res est in Imperante tenuitas. modus vbique laudandus est. nam, cur aut vituperabilis negligentia in propriis defluat, aut aliena cupiditas turpis abradat?

20. *Belli neruus est pecunia.* Tacitus: Sed nihil æque fatigabat, quàm pecuniarum cõquisitio: eos esse belli ciuilis neruos dictitans Mutianus. non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat.

92,9. Fallitur quisquis res magnas &c. Adde huc Cincinnati verba illa: Operæpretium est audire qui omnia præ diuitiis humana spernunt, neq. honori magno locum, neq. virtuti putant esse, nisi effuse effluant opes. & quæ præterea ad ea scripsit Machiauellus, Cap. xxv.

96,21. Quas nemo sapiens, vt Crispus ait, cõcupiuit. bene Tacitus: Stultissimus quisq. pecuniis mercabatur. apud sapientes cassa habebantur, quæ neq. dari, neq. accipi, salua Rep. poterant.

98, 2. *Fluxu. n. rerum &c.* Quia vt idem ait, miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Quod iisdemmet verbis B. Augustinus protulit, siue ab ipso Tacito mutuatis, siue, vt loquentib. moris est (vtar ego quoque Paciani acutissimi viri verba) ex copia sermonis humani dicere aliquid, quod ante dictum sit.

98,16. Nam aurum quod possidẽt &c. B. Ambros. in Epist. Nihil Ecclesia sibi nisi Fidem possidet: possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum.

101,9. *Quodq. eorumdem virtus mirum in modum formidolosa est.* Salustij dictum.

104, 25. *Ministri. n. Dei sunt.* Pacianus in Paræ-

nesi:Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti: solus hoc, inquies, Deus poterit:verum est. sed & quod per Sacerdotes suos facit ipsius potestas est.

106,19. *Sic ipse circumspectior esse debet.* Tiberius apud Tac. in iij. Mihi autem neq. honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non Aedilis, aut Prætoris, aut Consulis partes sustineo. maius aliquid, & excelsius à Principe postulatur. & cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, vnius inuidia ab omnib. peccatur.

23. *Quod nullū eius factū &c.* Plinius in Paneg. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principū vero non modo domos, sed cubilia ipsa, intimosq. recessus recludit: omniaque arcana noscenda Famæ proponit atq. explicat. ex Sallust. in Orat. Marij.

107,1. *Quique non quæ sua quærat.* qui non bona sua computet. vt Petronius loquitur: Nemo cælum putat, nemo iusiurādum seruat, nemo Iouem pluris facit, sed omnes opertis oculis bona sua computant.

111, 2. *Benegerendæ ergo Reip. &c.* Theodosius in ij Var. Constat Senatum populis viuēdi regulam præstitisse. nam quod ornat nomen R. a vobis legitur institutum. Item, Senatum, gremium libertatis appellat. & alio loco magnifica de ipso loquēs, ait: Vos deuotionem Prouinciis: Vos priuatis iura decreuistis: & ad omnes iustitiæ partes subditos parere libenter docuistis.

112, 18. *Vox domini &c.* a domino etiam nostro Iesu recusata. de Augusto legitur, Acerbe incre-

puisse eos,qui Diuinas occupationes,ipsumq.Dominum dixerant. nam Dominatio propria superbor. Sallust: Post vbi imperiū Regiū, quod initio conseruandæ libertatis,atq.augendæ Reip.fuerat, in superbiam, Dominationemq. se conuertit &c. Tac. Quod precium effusi totiens sanguinis expectatis, nisi immortalia tributa, virgas, secures, & Dominor.ingenia? Vnde Dominum libertatis, Cassiodorus dixit eleganti temperamento.

118, 21. *Natura contraria sunt Dominatio & Principatus*.ex Paneg.ad Traianum:Scis vt sicut diuersa natura Dominatio, & Principatus, ita non aliis esse Principem gratiorē, quàm q̄ui maxime Dominum grauētur. &:Non de Tyranno,sed de ciue; non de Domino, sed de parente loquimur. vnum ille se ex nobis & hoc magis excellit atque eminet quod vnum ex nob. putat. nec minus hominem se,quàm hominibus præesse meminit. intelligamus ergo bonum nostrum, dignosq. nos illius vsu probemus, atque identidem cogitemus si maius Principib. præstemus obsequium, qui seruitute ciuium,quàm qui libertate lætantur.

125,10. *Latior potestas Vespasiano data &c*.Adnotauerat Antonius Vacca, I. C. obstare huic sententiæ verba Taciti, quæ sunt in xx: At Romæ Senatus cuncta Principibus solita Vespasiano decernit.